B[illegible] 1727
Hochkirche

447 K 225

2

ELEMENTA JURIS PONTIFICII

SIVE

Octoginta octo Regulæ Juris Canonici in *ſexto* Decretalium BONIFACII VIII. contentæ, Authoritatibus, rationibus & exemplis ex utroque Jure petitis illuſtratæ: ex quibus facilè & ex tempore de varijs cauſis in utroque foro controverſis prudenter judicari poterit,

REVERENDISSIMO ac AMPLISSIMO DOMINO, DOMINO

ANDREÆ ZIRCKL,

Ordinis FF. Eremitarum Divi Patris Auguſtini; SS. Theol: Doctori, Comiti Lateranenſi, Proto-Notario Apoſtolico, inclyti Marchionatûs Moraviæ

PRÆLATO INFULATO,

S. R. Cæſ. Regiæque Majeſtatis Conſiliario: Per Moraviam & Sileſiam Vicario Generali: Brunæ in Exempto Monaſterio S. Thomæ Apoſtoli PRIORI PERPETUO

Humillimè conſecrata,

PRÆSIDE

A. R. & Eximio Patre Magiſtro ANTONIO HOCHKIRCHEN, Ordinis FF. Eremit, D. P. Auguſtini SS. Theol. Doctore ac Canonum Profeſſore.

In Baſilica S. Thomæ alternis Diſputationibus excuſſa ac propugnata die Maij

à Religioſis ac Eruditis Fratribus Clericis ejuſdem Ordinis ac voti;

F. Auguſtino Handelsberger. F. Nepomuceno Rubes. F. Carolo Köhler. F. Ignatio Grana. F. Valerio Conſtantz. F. Ægidio Mertha.

Cum Permiſſu Superiorum.

BRUNÆ, Typis Jacobi Maximiliani Svvoboda, Annô 1727.

R. UNIV. BIBLIOTHEEK LEIDEN

REVERENDISSIME
AC
AMPLISSIME
DOMINE, DOMINE
PRÆLATE.

SUccinctum Ecce! in Regulas Juris Canonici Commentarium, ceu primitias curſûs noſtri, jure tibi conſecro Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine Prælate! *Tui enim ordinatiſſimi promovendorum Sacratiorum ſtudiorum deſiderij, primus eſt partus, qui, ut ut præcox videri poſſet ijs, qui ſugillare alienos conatus familiare habent, illi tamen haud ita videbitur, qui nôrit, Trojam non unà die ædificatam. Elementa hæc ſunt & Fundamenta, ſuper quibus univerſi Juris Pontificij vaſtitas conſtruetur:* Nec *aurem merentur illi, qui in Canonum Sanctitatem minus æqui cenſores, Philoſophicis altercationibus, Theoricisque diſceptationibus inſiſtere malunt,*

quàm

quàm ad venerandam Canonum Officinam animum apellere. Sat ſolamini mihi eſt DOMINE, Divinarum humanarúmque rerum peritiſſime! *Tibi præ cæteris exploratum eſſe, quòd juris Pontificij ſcientia, ſit dignitatis Eccleſiaſticæ parens, Monarchiæ ſacræ firmamentum, caſtigatrix morum, Sacrorum Rituum lydius lapis, ſuperſtitionis ac vanarum obſervantiarum expultrix, ſanioris diſciplinæ Magiſtra, Eccleſiaſtici Imperij nervus, jurium ac Privilegiorum conſervatrix, Chriſtianæ Societatis arctiſſimum vinculum. Sanè, non ſolùm* (*ut Baldus* in proœm. Dec. n. 2. *ait*) juris Civilis Majeſtas Canonum Authoritate firmatur (*& ùt* in cap. 1. de nov. oper. nunt. *dicitur*) Leges civiles non dedignantur ſacros Canones imitari, *ſed etiam Decreta Pontificum ſunt juris Civilis jura, ſunt legum profanarum leges, ſunt imperiorum omnium imperia. Quocirca, ſi verum eſt vetus illud gentilium effatum; beatas fore Reſpublicas, in quibus vel Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur, quidnî longè beatior ſit Communitas tum Sacra, tum Politica, in cujus moderatore Canonum Sanctimonia, aut legum Majeſtas fixit domicilium? in hanc rem non minus verè, quàm eleganter dixit Juſtinianus* Proœm. Inſtitutionum: Imperatoriam Majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, ut utrúmque tempus & bellorum & pacis rectè poſſit guberari; & Princeps Romanus, non ſolùm in hoſtilibus prælijs victor exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam juris religioſiſſimus, quàm victis hoſtibus triumphator Magnificus. *Nec aliud voluit olim DEUS, præcipiens, ut initio inaugurationis Regum, liber*

Deu-

Deuteronomij, leges divinitus populo præſcriptas continens, Regijs manibus conſignaretur, quatenus juxta illarum ductum, ſibi viverent & alijs. Cùm inſidebit (*inquit ſupremus legifer* Deuteron. 17.) Rex ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi exemplar hujus legis ex libro, qui erit in manibus Leviticorum Sacerdotum, eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Johovam DEUM ſuum; obſervare omnia verba hujus legis & ſtatuta iſta, faciendo ea. *Jam verò, quid Sacrorum Canonum volumen aliud eſt, quàm novi Teſtamenti Deuteronomium, docens honeſtè vivere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere. Hunc Sacrarum legum Codicem, cùm crebrò manibus verſas,* Præſul Reverendiſſime, *nedum rectè vivendi, ſuavitérque gubernandi cynoſuram aſſecutus es, verùm & priſca, celeberrimi Monaſterij Tui, in immediatam protectionem Sedis Apoſtolicæ recepti, jura ac privilegia viriliter Tueri & inviolata ſervare ſtimularis. & quidni illæſa ſerves iſthæc privilegia, quæ Sereniſſimorum Marchionum Moraviæ, præcipuè* Joannis II. *munificentia peperit, ſummorum verò Pontificum* Innocentij VI. Joannis XXIII. Julij II. Clementis IX. *& noviſſimè* Benedicti XIII. *feliciter regnantis, conſummavit Authoritas, & quibus ſinè conſenſu Romanæ Sedis renunciari non poteſt? Quoniam autem Tibi curæ eſt Monaſterij Tui jura ſarta tecta ſervare, poſteróſque in Tuî ſequelam attrahere, jure merito hunc ſtudij noſtri Juridico-Canonici prodromum Amplitudini Tuæ dico conſecróque*

Reverendiſſimæ ac Ampliſſimæ Dignitatis Tuæ

Humillimus

F. Antonius Hochkirchen.

ELEMENTA
JURIS PONTIFICIJ,
Sive.
Octoginta octo Regulæ juris Canonici Authoritatibus, rationibus & exemplis ex utróque jure petitis illuſtratæ.
PROLOGUS.
De quidditate, Diviſione & utilitate Regularum juris.

1. REgulæ juris nihil aliud ſunt, quàm breves ſententiæ, axiomata, ſeu propoſitiones generales, ex legibus vel ſacris Canonibus deductæ, quæ ſerviunt ceu generalia quædam principia ad cauſas ritè decidendas. Nam, ut *l.* 1. *ff. de R. J.* Dicitur: *Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat; non ut ex Regula jus ſumatur, ſed ex jure quod eſt, Regula fiat. Per Regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & ut Sabinus ait, quaſi cauſæ conjectio eſt.* Quæ etiam cauſa fuit, ut tam juris canonici compilator in fine decretalium, quàm Imperator in fine Pandectarum ex profeſſo tandem poſuerit regulas juris jam ante conſtituti. Equidem, quia juris regulæ per omnes juris ſcripti partes divagantur, generaliáque rectè judicandi principia ſunt, non abs re viſum fuit, illas rectiori fortaſſè Methodo ipſo in limine rimari.

2. Cæterùm, dividuntur regulæ juris in *Authenticas* & *merè Doctrinales. Authenticæ* ſunt, quæ authoritate legislatoris, ſacri vel Politici in corpore juris Canonici vel Civilis, præſertim in titulo ultimo ſedem obtinuerunt. *Doctrinales*, quæ etiam vocitantur *Brocardica*, ſunt axiomata juris conſultorum, vel aliorum doctorum à nullo legislatore in vim legum authentizata, nec in corpore juris poſita; ſed ab ijſdem Doctoribus aſſerta, aut ex juris textibus eruta: proinde nec authoritatem aut vim probandi habent, niſi in quantùm fulciuntur legum Canonúmve auxilio, vel Curiarum uſu recepta ſunt.

3. Cedò! Quam vim habent regulæ authenticæ? ℞. Qui pro ſe habet regulam authenticam, non tantùm habet intentionem in jure fundatam, ut liberetur ab onere probandi. Argumento *Cap.* 2. *de reſtit. ſpoliat. in 6.* ſed etiam jus certum; ita ut pro ipſo pronuntiandum ſit, niſi adverſarius doceat, illud de quo eſt quæſtio, non comprehendi

ſub regula, ſed ab ea exceptum eſſe. *l. 5. ff. de probat.* imó ut cum Peckio docet Pichler; ſententia contrà juris regulam lata, non minùs eſt nulla, ac illa quæ fertur contrà legem vel canonem.

4. Apparet igitur quanta ſit utilitas regularum juris, ſiquidem cùm facta & individua penè ſint infinita; neceſſum fuit; communia quædam principia, ſeu (ut Medici vocant) Aphoriſmos, juris prudentiæ conſtituere, ad quæ in tanta cauſarum diverſitate velut ad certas ſtationes recurri poſſet. Sanè (ut Peckius hîc ait) in his totius juris theſaurus deliteſcit. Unde inquit Coraſius in libello *de arte juris c. 1. v 1.* primò omnium, univerſi juris regulas, móxque tractatum de verborum ſignificatione percurrat ſtudioſus, quæ ſunt generalia juris principia & elementa, in docendis enim perdiſcendíſque artibus ab univerſalibus, & nobis notioribus ad ſingularia procedendum eſt.

5. Porrò ad rubricam de regulis juris in digeſtis ſtatuuntur regulæ ducentæ & undecim, quas ſparſim hinc inde referemus, in fine Decretalium Gregorij IX. recenſetur undecim tantùm: in ſexto autem Decretalium Bonifacij VIII. ſtatuuntur octoginta octo, quarum

REGULA I.

1. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonica obtineri.*

2. Deſumpta eſt hæc Regula ex *cap. 3. de inſtit. & ex cap. relatum 21, de jure Patronatûs.*

3. Eſt autem hoc loco beneficium; jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis ratione ſpiritualis miniſterij. Perpetuum (inquam) nam ſi temporale foret, & ad nutum revocabile; non eſſet beneficium: cujus ordinis ſunt ea, quæ manualia dicuntur. Excluditur etiam à ratione beneficij penſio, quia non obligat ad aliquod miniſterium Eccleſiaſticum, ne quidem ad horas canonicas; niſi quod Pius V. ad horas Divæ Virginis penſionarios obligaverit, ſub pæna amiſſionis fructuum penſionis. Zoëſius *ad tit. de præbend. & dign. n. 2.*

4. Beneficiorum primò, alia ſunt *ſæcularia*, quæ debentur Clerici ſæcularibus, alia *Regularia* quæ ijs conferenda, qui regulam ab Eccleſia approbatam profeſſi ſunt. Ubi Nota: quod regularirer omne beneficium ex primæva inſtitutione ſua præſumatur eſſe ſæculare, niſi contrarium ex adverſo probetur. Rebuffus apud Peckum *hîc.* Secundò; alia ſunt ſimplicia quæ nullam habent adjunctam qualitatem, ſed tantùm Divinum Officium, ut Canonicatus, Capellania. Alia duplicia, ſive majora, quibus aliqua adeſt qualitas, ſive

ſive præeminentia, veluti dignitas, juriſdictio, cura animarum. Horum rurſùs aliqua habent dignitatem cum juriſdictione, uti Epiſcopatus, Abbatia, Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, aliqua tantùm gradum aliquem honorificum quo cæteris præſtant, ut Perſonatus, officium Cantoris, Theſaurarij, vel curam tantùm animarum, ut Parochia. Tertiò. Alia ſunt *Electiva*, ad quæ pervenitur per electionem. Alia *Collativa*, quæ per collationem acquiruntur; eámque vel liberam; quando nempe Collator non eſt adſtrictus alicui nominationi, aut præſentationi, ſed vacantia pro lubitu conferre poteſt. Vel non liberam; dum videl: collatio facienda perſonæ per Patronum præſentatæ, aut nominatæ à Principibus, aut Univerſitatibus, quibus id privilegij ſpecialiter eſt indultum à S. Sede. Zoëſius *loc. cit. à n. 4. ad 6.*

5. Inſtitutio propriè ſeu ſpecialiter accipitur pro ea ſolummodo conceſſione beneficij, quæ per ſuperiorem fit cuipiam ad præviam præſentationem Patroni, & definiri ſolet. *Conceſſio beneficij ad præſentationem Patroni facta.* Gloſſa *ad Rubric. tit. de inſtitutionibus in 6.* Engel. *eod. tit. n. 1.* Et ſic differt inſtitutio à Collatione & Præſentatione. Siquidem *inſtitutio* eſt ipſius perſonæ quæ inſtituitur. *Collatio* verò eſt beneficij, quod confertur. Zoëſ. *cit. tit. de inſtit. n. 1.* Dein. *Collatio* propriè loquendo, eſt translatio libera juris in Beneficio: quia habens facultatem conferendi Beneficium, non tenetur conferre huic, vel illi; ſed liberè confert cui vult, dummodo ſit idoneus. *Præſentatio* è contrà propriè pertinet ad Patronum, hoc eſt ad eum, cui competit jus Patronatûs. *Inſtitutio* tandem ſequitur præſentationem Patroni, mediante qua fit conceſſio beneficij Clerico idoneo per Patronum præſentato. Reiffenſtuel *ad cit. tit.* § 1. *n. 4.* interdum tamen accipitur *Inſtitutio* pro inveſtitura, inſtallatione, aut miſſione in actualem poſſeſſionem. Reiffenſt. *d.* § *1. n. 9.* ſed in præſenti regula teſte Dyno *hic n. 13.* inſtitutionis nomen largiùs ſumitur. Ut ſit ſenſus: quemadmodum ſine collatione canonica non poteſt obtineri beneficium Eccleſiaſticum, quando eſt collativum: ita nec ſine canonica electione, confirmatione, præſentatione, poſtulatione &c. dum illis opus eſt.

6. Inſtitutio dicitur Canonica, quæ fit ſine vitio conferentis, recipientis *&* formæ. Nam ad inſtitutionem canonicam requiritur, ut & conferens habeat poteſtatem conferendi, & recipiens non ſit inhabilis ad beneficium, ſimúlque obſerventur ſolemnitates à jure præſcriptæ. Reiffenſt. *loc. cit: n. 10.*

7. Itaque nec transactione, nec præſcriptione, neque judicis ſen-

tentiâ, ſed ſola canonicâ inſtitutione Beneficium Eccleſiaſticum licitè & firmiter obtineri poteſt. Latè Peck. *hîc n.28.*

8. Hîc incidit quæſtio, an quis ſe ipſum inſtituere poſſit? ℞. Negativè per textum *in cap. cum ad noſtram. 7. & ult. de inſtit.* Ratio; quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio, ſicut inter ementem & vendentem: nemo enim oritur à ſe ipſo. Unde nemo ſe ipſum eligere *can. in ſcripturis cauſ. VIII. q.1.* nec præſentare *cap. per noſtras 25. de jure Patronatûs.* Imò nec ab alio, cui inſtituendus facultatem delegâſſet, inſtitui poteſt. Schambogen *ad tit. de inſtit. n..5.*

REGULA II.

1. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.*

2. Hæc Regula deſumpta eſt *ex cap. 5. & 17. ac 19. de Præſcript.* Et ad eam prolixè ſcripſit Didacus Covarruvias. Ratio illius eſt, quòd nullus delinquens per ſuum peccatum & illius continuationem ex legis authoritate acquirat præmium vel commodum aliquod: jam verò ſi malæ fidei poſſeſſor ullo tempore præſcriberet, utique delinquens per ſuam malitiam & peccatum etiam continuatum, conttà omnem juſtitiam alienum retinens, præmium & commodum acquireret, ſcil. Dominium rei vel juris alterius. Igitur præter titulum juſtum, & continuatam tempore à lege definito poſſeſſionem, etiam bona exigitur fides, id eſt ſyncera conſcientia in ſimplici, puro & recto animo, ab omni fraude dolo & calliditate aliena; unumquémque excuſans de ignorantia rei alienæ.

3. Nec obeſt imò quod de jure civili ſufficiat à principio adfuiſſe bonã fidem, & mala fides ſuperveniens non obſit. Nam hoc jure non utimur, propter peccatum proveniens ex conſcientia rei alienæ, cùm generaliter (ut ait Innocent. III. *In generali concilio Lateran.*) ſit omni conſvetudinj derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari, rantóque ſint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam. Unde in Camera Imperiali teſte Gail. *lib. 1. obſerv. 18. n. 7.* hæc noſtra regula uſu comprobata eſt contrà jus civile. Ex eodem fonte ſequitur, quòd nec immemorialis præſcriptio cum mala fide ſubſiſtat. Covarruv: *p. 2. § 8. n. 4.* Menoch. *remed. 15. recup. n. 417.* Maſcard. *de Probat. concluſ. 1213. n. 45. & ſeqq.* Schamb. *ad tit. de Præſcript. n. 7.* Illud tamen obſervandum; quòd licet in omni præſcriptione bona fides in dubio præſumatur. Covar. *ad Reg. poſſeſſor. p. 2 § 3. n. 2.* præſumptione ſcilicet *juris* tantùm, ità ut mala fides ex adverſo legitimis modis, vel etiam indicijs probari poſſit. Menoch. *de arbitrar. caſu 225*, nihilominùs tamen in præſcriptione

ne immemoriali, præſumatur bona fides præſumptione *juris & de jure*. Salicet. & Alciat. apud Auguſtinum Barbos. *in Collect. hic n. 6.* Cæterùm non obſtare malam fidem, primùm, expleto bonâ fide tempore ad præſcribendum requiſito, ſupervenientem, Theologi & Canoniſtæ unanimiter docent.

4. Nec, obeſt ſecundò: Quòd filius fam. cui contrà S.C. Macedonianum pecunia mutuò data eſt, & qui ſe verum debitorem agnoſcit, exceptione defenſus ſit. *l. qui exceptione de condict. indebiti*, alienæque pecuniæ poſſeſſor maneat. Nam hoc odio delicti, & fœneratorum, authoritate publicâ introductum eſt, ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fœnus exercent, vitæque Parentum inſidias parant, exceptione meritò repelli poſſe. Peck. *hic n. 16.*

5. Nec obeſt tertiò; quòd quis præſcribere, & eatenus ſe liberare queat à pæna, quam ſcit ſibi à lege impoſitam. Siquidem ad pænam nemo tenetur ante ſententiam, proinde hæc non eſt debita, niſi remotè & ſub conditione: ſi condemnatus fuerit, ut ante condemnationem, præſcriptione non ſit opus. Sin autem quis condemnatus ſit, tum adhuc præſcriptioni locus eſt, non tamen ſine bona fide præſcribentis. Quia licet condemnatus ſciat ſe debere; ſimul tamen judicat, & ſcit ſe eam pænam ſolvere non teneri, niſi exigatur. Unde non habet malam fidem practicam, hoc eſt conſcientiam obligationis offerendi & ſolvendi pænam debitam, & ſic *hæc* præſcriptio non procedit ex actione præſcribentis, ſed ex negligentia creditoris pænam adjudicatam ſibi, non exigentis. Dixi *hæc*: ſecus enim ſe habet in debito ex *contractu*, vel *quaſi* & ſic ex juſtitia commutativa reſultante. Schambog. *loc. cit. n. 8.* qua ratione & hoc jure rectè defendi poterunt præſcriptiones earum rerum, quæ ob non ſolutum vectigal, vel aliud delictum in commiſſum ceciderunt, etiamſi is, qui poſſidet intelligat eas ad Fiſcum ſpectare. *l. 1. C. de vectig. & commiſ.* Quid enim prohibet, Principem rebus in Fiſcum illatis vel inferendis propter delictum, hanc præſcriptionem imponere, aut pænam, quam ipſe ſtatuit, certo modo abolere? niſi de contraria illius mente aliunde conſtaret ut in ſpecie *cap. 2. § ſi poſt mortem. de præſcript. in 6.* ubi bona hæreticorum ipſo jure & facto cenſentur Fiſco acquiſita. Vide Petrum Caniſium *hoc loco* & Schamb. *ubi ſupra.* Cætera, quæ pro uberiori explanatione hujus regulæ deſiderare poſſes, optimè congeſſit Reiffenſtuel *ad tit. de præſcript.*

REGULA III.

1. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.*

2. De-

2. Deducta eſt hæc Regula *ex C. cauſam 7. de præſcript. ex c. 3. in fin. de probat.* cui ſimilis extat textus *in l. ſine poſſeſſione. 25. ff. de uſurpationibus & uſucap.*

3. Longè aliud eſt poſſidere, aliud in poſſeſſione eſſe. Nam cuſtodiæ cauſâ, amicus, hoſpes, procurator, creditor, in poſſeſſione ſunt, qui tamen non poſſident aut præſcribunt, ſicut aliud eſt acquiſitio, aliud retentio poſſeſſionis. Quare ſecundùm Caniſium is poſſidere dicitur, qui alicui rei ſuo nomine inſiſtit, ídque etiam ſolo animo. Nam licet ad acquirendã poſſeſſionem corpus & animus ſimul requirantur; ad poſſeſſionem tamen retinendam, ſufficit vel ſolus animus: veluti in eo, qui peregrè profectus res ſuas domi reliquit. Retinet enim hic animo poſſeſſionem *l. clam 6. § qui ad nundinas ff.* & hinc conſurgit popularis diſtinctio poſſeſſionis in *naturalem civilem, & naturalem & civilem ſimul.* de qua DD. ad tit. *inſtitution. de uſucap. & longi temp. præſcript.*

4. Pontifex conſultò in hac Regula dicit, quòd ſine poſſeſſione præſcriptio non procedat, ut indicet poſſeſſionem requiri, non tantùm in initio, & in fine, ſed continuo tempore medio & in progreſſu à principio ad ultimum complementum. Continua autem dicitur non ſolùm, quæ penes unum atque eundem ſemper eſt, ſed etiam, quæ ab uno ad alium legitimè translata fuerit. Interrumpitur autem poſſeſſio, & conſequenter præſcriptio, cùm cœpta retrahitur, aut impeditur ne progredi queat; quod fit duobus modis, *naturaliter* vel *civiliter.* Naturalis interruptio contingit, cùm quis nulla judicis poteſtate, ſed violenter de poſſeſſione ejicitur. *l. naturaliter ff. de uſucapion.* Civilis interruptio fit, dum authoritate legis impeditur præſcriptio, veluti per vocationem in jus, per litis conteſtationem. Vel ſi debitor jam jam præſcripturus actioni, pignus tradat, vel uſuras ſolvat, aut alia ratione debitum agnoſcat. *l. intra ff. de diverſis temporalibus præſcript.* Cæterùm Civilis interruptio ſoli interrumpenti prodeſt, adverſùs alios nihilominus procedente præſcriptione: naturalis autem extendit vires ſuas contrà omnes. *d. l. naturaliter.*

5. Hîc nota cum Caniſio Peckio & alijs, quòd præſcriptio à defuncto cœpta, ante hæreditatis aditionem rectè compleatur. *l. cæptam 42. ff. de uſucap.* Unde & vacuum tempus ante hæreditatis aditionem & nactam poſſeſſionem prodeſt hæredi non poſſidenti ad complendam præſcriptionem *l. nunquam 31. § vacuum ff. de uſucap.* & hoc ſingulari jure introductum eſſe teſtatur Pomponius *l. juſto § nondum ff. de uſucap.* Cùm enim ante hæreditatis aditionem nihil ſit, quod imputetur hæredi, quare poſſeſſionem non apprehenderit, quia jure ſecum deliberat, conſultúmne ſit ei, hæreditati ſe immiſcere; conſequenter

tem-

tempus, quod à lege ei indultum eſt, damno eidem eſſe non debet. *l. quod favore C. de legib.* Itáque æquitatis gratiâ conſtitutum, ut hæreditas tantiſper perſonam defuncti ſuſtineat; & ſicut reſtator omne jus ſuum transmittit in hæredem, ita & illud jus poſſeſſionis, quod ad præſcriptionem valet, in eundem hæredem transfundat.

5. De commodis poſſeſſionis videri poteſt Hoppius *ad tit. inſtit. de interdictis. pag. mihi 979.* an titulum ejus quis edere teneatur? ibidem. Quomodo acquiratur & amittatur poſſeſſio? ibid. *pag. 985.* & Schambogen. *ad tit. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* ſed omnium optimè Reiffenſt. *ad eundem tit. ubi* §3. de interdictis adipiſsendæ, retinendæ, & recuperandæ poſſeſſionis agit.

REGULA IV.

1. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.*

2. Deſumpta eſt ex D. P. Auguſtino *Epiſt. 54. ad Macedon.* cujus verba referuntur *in c. Si res XIV. q. 6. & in c. cum tu 5. de uſuris.* latè de Materia reſtitutionis agunt D. Thom. 2. 2. *q.* 62. Sotus *lib. 4. de juſtitia. q. 6. & 7* D. Antoninus *part. 2. tit. 2. à cap. 1. uſque ad 8.* Covar. *in repet. hujus Regulæ.*

3. Sicut Juſtinianus Delicti verbo uſus eſt, dum de obligatione quæ ex crimine, delicto aut negligentia oritur agit, ita & hîc peccati appellatio effuſa & generalis eſt, de omnibus criminibus & delictis, ſive in omiſſione ſive in perpetratione, ſeu commiſſione conſiſtant, modò damnum inferant proximo, & juſtitiam lædant: non enim quæritur, quomodó proximus læſus ſit, ſed an, & quantùm ſit læſus.

4. Hoc jure receptum eſt, ut hæres ex delicto defuncti conveniri poſſit ad reſarcitionem damni à defuncto illati, ut eò citiùs peccatum defuncti expietur. *C. in literis 5. de raptor.* Caniſius *hic.* Verùm hanc cauſalem explodit Barboſa *in Collect. hic n. 7.* inquiens reſtitutionem in hoc ſæculo (in re vel in voto) fieri debere, nam poſt mortem pœnitentis non liberat à pæna in alio ſæculo purganda, nec propter ipſius reſtitutionis dilationem anima in purgatorio diutiùs detinetur ex multis quæ adducit Sotus *lib. 4. de juſtit. q. 6. art. 1.* ad convincendam ineptam vulgi opinionem contrarium ſentientis. Idem tenent Navar. *in man. Cap. 17. n. 63.* Cardin. Bellarm. *de Purgatorio lib. 2. cap. 16.* & eſt communis Theologorum opinio *in 4. Diſt. 16.* Ratio: quia aliàs ex mora culpabili, pæna purgatorij, naturâ ſuâ temporalis, fieret æterna, non ex propria defuncti, ſed hæredum culpa, & proinde purgatorium eidem animæ redderetur infernus; cum præcipua inter utrùmque differentia, ex perpetua vel temporali temporis diuturnitate,

tate,

tate, quod attinet ad pænalitatem, deſumatur, ut eſt de fide ex Trident. *ſeſſ. 6. can. 30.* hoc verum eſt, quòd reſtitutio, cùm ſit opus juſtitiæ & moraliter bonum, per modum ſuffragij applicari & prodeſſe poſſit animæ in purgatorio, quo modo conciliari poteſt ſententia oppoſita, Cæterùm de jure Civili hæres ex delicto defuncti non convenitur, niſi aliquid ex delicto ad eum pervenerit, ne alieno ſcelere diteſcat hæres. *l. unicâ C. de Delict. Defunct.*

5. Sed quid & quantùm reſtituendum? loquendo de malæ fidei poſſeſſore. ℞. ablatum reſtitui debet in ſpecie, aut ejus æſtimatio ſi non extet, ídque, licet res ipſa ſine nova culpa auferentis perierit, cùm ſemper fur in mora reſtituendi intelligatur. *l. ſi ff. de condict. furt.* mora autem ſua cuilibet nociva eſt. *R. J. 25. in 6.* Si tamen res perijt eo modo & tempore, quo certo erat peritura apud Dominum, tunc non tenetur fur vel alius, qui injuſtè acceperat & detinebat, pro re perempta præſtare æſtimationem. Vaſquez *in opuſc. de reſtitutione cap. 5. Dub. 11. n. 66.* Barboſa *in collect. hîc n. 10.* Franciſcus Henno *in tract. de reſtitut. Confirmatur ex l. 1. ff. ad l. Rhodiam de jactu* ubi nauta transferens invito Domino merces de una navi ad aliam deteriorem in qua pereunt, non obligatur ad reſtitutionem, ſi etiam prima navis pereat in eadem tempeſtate. Cui obſtare videtur *l. cum res. & l. ſi filiofam. § ſi poſt ff. ſolut. matrim.* ubi dicitur moroſum debitorem omne detrimentum præſtare debere, licet res ipſa caſmate, id eſt, hiatu & Voragine terræ, perierit, quin imo per Gail. *de Pignorib. obſerv. 18. n. 4. & ſeqq,* licet caſma perinde apud creditorem contigiſſet. Verùm hic ſpectandum eſt, an actor vel creditor illam rem ante interitum diſtracturus fuiſſet? & hoc caſu tenebitur debitor ulterius, vel an diſtracturus non fuiſſet? & non tenebitur. Alias creditor aut Dominus ex dilata reſtitutione lucrum reportaret. Aut certè agitur de mora in obligationibus quæ ex delicto procedunt: ut ex furto, rapina &c. & tunc etiam tenebitur debitor poſt ſententiam condemnatoriam, idque in pænam delicti. Ante ſententiam verò in conſcientia non tenebitur.

6. Quid ſi res ablata, auferenti donata, aut ab adverſario damnum, debitúmve remiſſum ſit? ſunt qui remiſſionem non valere, nec liberare contendunt, ut videre eſt apud Peck. *hîc* ídque propter expreſſa verba hujus regulæ, quæ tantum reſtitutionis meminit, & propter hoc, quod *c. debitores 6. cum C. ſeq. de jure jur.* de uſuris conſtitutum eſt. Verius tamen eſt, remiſſionem valere, quia nihil intereſt, ſolvatur creditori à debitore, an voluntati ejus aliter ſatisfiat, nisì certis caſibus jus reſiſtat remiſſioni, ut *in ſtatutum 11. § inſuper juncto § penult.*

ult. de reſcript. in 6. et cap. 4. de cenſib. eod. Caniſius & DD. apud Barbos. *hic n. 11.* Limita tamen: niſi remiſſio aliquo modo iuvoluntaria ſit, ut ſi quis fraudulenter paupertatem ſimulet, aut impotentiam; debitum neget, aut ſolvere recuſet, niſi pars aliqua remittatur, tunc enim talis remiſſio tanquam non ſpontanea, ſed potiùs coacta, à plenaria reſtitutione haud excuſabit. Sotus *lib. 4. de juſtitia. q. 6. art. ult.*

7. Quod ſi neſciatur cui res ſurrepta ſit? poſt diligentem inquiſitionem, pauperibus eroganda eſt providentia Epiſcopi. Covar. *ad banc Reg. part. 3. § 1. n. 2.* éſtque ſententia D. Thomæ *22. q. 62 art. 5. ad 3.* & D. Hieronymi *relati in c. nemo XIV. q. 5.* Porro ablatum reſtitui debet unà cum fructibus perceptis, & qui ſinè peccato percipi potuiſſent. *l. certum C. de rei vindicat.* quia verbo reſtitutionis omnis utilitas continetur. Gail. *de Pignor. obſer. 17.* néque ſolùm illi tenentur; qui abſtulerunt, verùm etiam, qui occaſionem, conſilium aut opem præſtiterunt cauſámque damni dederunt. Gail. *lib. 2. obſerv. 109. n. 10.* De ordine reſtituendi inter cooperantes damnificationi, & cæteris huc ſpectantibus egregiè nuper ſcripſit noſter Nicolaus Gircken in ſuo *Tract. de Jure & Juſtitia*; Henno Sporer & alij.

8. Occaſione hujus regulæ movetur quæſtio, an mulier adultera quæ ex adulterio filium peperit, teneatur crimen ſuum revelare, ut hoc modo adulterinus filius ab hæreditate, quæ verè ad eum non pertinet, excludatur, an verò ut famæ ſuæ conſulat, tacere, & illegitimum filium pro legitimo obtrudere queat? ℞. In hoc concordant omnes, quòd adultera habens bona paraphernalia, aut alia ſibi ſoli propria, ex quibus marito, legitimíſque mariti hæredibus damnum illatum reſaſcire queat, id omninò facere teneatur; cùm ſic ea reſtitutio ſub alio prætextu fieri poſſit abſque jactura famæ, ipſius adulteræ. Sin verò hujuſmodi bona non habeat, & rationaliter metuat lethale in ſe odium Mariti, aut agnoſcat revelationem criminis non profuturam; non tenebitur ſcelus detegere: eſſet enim temeraria hæc revelatio, & famæ propriæ prodiga diſſipatio, & hoc ſenſu reſcripſit Pontifex *C. 9. de pænit. & remiſſ.* hujuſmodi mulierem ſinè revelatione criminis ad ſacramentalem pœnitentiam admittendam eſſe.

Refert nihilominùs hoc loco Covarruvias, eſſe qui ſentiant, quòd, ſi patrimonium mariti ampliſſimum eſſet, oportere adulteram Matrem adulterino filio Vitium natalium ſignificare, ne rerum alienarum injuſtus ſit Poſſeſſor, qui tametſi Matri id aſſerenti credere non cogatur, juxta Gail. *lib. 2. obſerv. 98. n. 9. & ſeqq.* hæc tamen conſcientiam ſuam gravi onere preſſam, hac declaratione purgare & infamem maculam damno mariti proliúmque ejus contractam, non nihil diſ-

cutere videtur, Alij non inconſultò ſvadent, talem mulierem (citrà coactionem tamen) adhortando allaborare debere, ut filius illegitimus ſtatum Religioſum vel Eccleſiaſticum amplectatur. Alij denique reſolvunt iſtiusmodi mulierem, ſi plebejæ conditionis ſit, extraordinariè quid lucrari, aut filium illegitimum, extraordinarijs laboribus addicere debere, unde poſſibili modo damnum Marito & legitimis hæredibus reſarciatur.

9. Valeretne cautela, qua uſa dicitur mulier, quæ vicina morti filios ſuos ad ſe vocavit & dixit: filij mei! unus inter vos eſt ex adulterio natus, ideoque incapax eſt ſuccedendi in bonis Mariti mei, ego verò ne moriar in peccato illo, conſtitui eum manifeſtare, niſi illum, qui inter vos illegitimus eſt ad hæreditatem admiſeritis, infamiámque hanc tectam manere volueritis? ℟. licèt (cùm quilibet de ſe ipſo dubitaret) fratres ſe mutuò abſolverint, omnémque injuriam ſibi remiſerint, equidem iſtam cautelam meritò reprobandam eſſe: omnis enim remiſſio & liberatio illa, non ex ſpontaneo & libero animo profecta, ſed juſto comminatæ confuſionis metu & reverentiâ quadam maternâ facta fuit. Addo, quòd tali modo facilè innocens & legitimus filius in ſuſpicionem cadere poſſet illegitimitatis. V.G. ſi in lineamentis aut figura corporis Patri diſſimilis inveniretur.

REGULA V.

1. *Peccati venia non datur niſi correcto,*

2. Deſumitur *ex cap. legatur. XXIV. q.* 2. exornant illam ſotus *in 4. Diſt. 17. q. 2. art. 6.* Vega in Concil. Trident. *lib. 15. cap. 19.* D. Thom. *3. p. q. 83. art. 4.* Barbos *in collectaneis hic.*

3 Peccatum accipitur hîc pro reatu ad pænam æternam. Reatus autem intelligitur is, qui provenit ex peccato actuali. Nam reatus reſultans ex peccato originali, quod non eſt voluntarium voluntate perſonæ, ſed tantùm voluntate Proto-Parentis; per regenerationem, id eſt per ſacrum Baptiſmi lavacrum, abſque correctione, ſeu pœnitentia, plenariè remittitur. *cap. firmiſſimè. cap. ex quo de conſecrat. Diſt. 4.* Nec ad rem facit, quòd reatus conſurgens ex peccato originali, in adultis lapſis abſque pœnitentia non remittatur, juxta illud *act. 2. pænitentiam agite & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* & probat. *text. in c. omnis.* eâdem *Diſt. 4.* ℟. enim per accidens id contingere, quia ſcil. implicat contradictionem, quòd reatus conſurgens ex peccato originali remittatur, & remaneat reatus ad pænam æternam, exurgens ex peccato actuali, ut egregiè oſtendit Pontifex *in c. 3. § ſed adhuc de Baptiſmo.*

4. Du-

4. Duplex Regulæ ſenſus eſt, primus; quòd peccati remiſſio non detur niſi correcto, id eſt efficaciter pœnitenti, emendato, & meliori facto. Nam ut D. Ambroſius relatus *in cap. inanis. de poenit. Diſt. 3.* ait: *inanis eſt poenitentia, quam ſequens culpa coinquinat: frequenter peccans & lugens, vix veniam meretur. Nihil proſunt lamenta, ſi reiterantur peccata.* Quin imó teſte D. Gregorio *relato in cap. admiſſa eodem tit. qui admiſſa plangit, nec tamen deſerit pœnæ graviori ſe ſubjicit, quia ipſam, quam impetrare potuit veniam, contemnit.* Alter ſenſus hic eſt, quòd peccati venia non detur niſi correcto, hoc, eſt niſi juxtà ſeveritatem diſciplinámque legum punito.

5. Non poterit ergò judex pœnam remittere? ℟. Solus Princeps ex cauſa poteſt pænam relaxare. Vide Gail. *Obſerv. 114. n. 4. & ſeqq.* & *l. fin. C. de ſententiam paſſis.* Igitur in poteſtate judicis inferioris non eſt delinquentibus non correctis, nec punitis veniam indulgere. Latè Peck. *hic n. 2.*

REGULA VI.

1. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.*

2. Concordat Regula juris civilis *in l. 185. de R. j. impoſſibilium nulla obligatio eſt.* Deſumpta videtur *ex c. fin. de pactis. ex cap. fin. de conditionib. appoſit. & ex c. 1. de jure jur. in 6.*

3. Impoſſibile generatim dicitur, quod exiſtere non poteſt. Ex tribus autem fontibus impoſſibilitas manat, aut enim rerum natura impedimento eſt, aut lex, aut factum. Unde vulgò impoſſibilitas, aut naturæ, aut juris, aut facti vocitatur. Vide latius Peck *hic n. 4.*

4. Cæterùm hoc diſcriminis eſt inter conditiones impoſſibiles, quæ ultimis voluntatibus, & eas quæ contractibus adjiciuntur, ut illæ, inſtitutionibus, legatis, fidei commiſſis adjectæ pro non ſcriptis habeantur in favorem ultimæ voluntatis. Siquidem in teſtamentis plenior interpretatio adhibetur. *l. in teſtamentis 12. ff. de R. J.* cùm non facilè credendum ſit, quempiam teſtamento ſuo aliquid appoſuiſſe, ad impugnandum idem poſtremum judicium ſuum: Contractus verò adjectis impoſſibilibus conditionibus infirmantur: nam hi non eandem benignitatis interpretationem à jure recipiunt. *c. dilecti. 6. de donat.* excepto Matrimonio, cui ſi turpis vel alia conditio impoſſibilis adjiciatur, reputatur pro non adjecta, & Matrimonium purè contractum intelligitur, ídque in favorem nuptiarum, niſi fortè adjecta conditio eſſet contrà ſubſtantiam Matrimonij; id eſt contra bonum prolis, fidei, aut ſacramenti, *per text. clarum in cap. fin. de condit. appoſit.*

 5. Quid

5. Quid ſi teſtator conditionem impoſſibilem, poſſibilem ratus fuerit? ℞. legatum, vel fidei commiſſum equidem non valebit. *l. ſervo manumiſſo. 58. ff. de condict. indeb.* cùm in teſtamentis voluntatem teſtatoris ante omnia ſpectemus. *l. fidei commiſſa. 11. § item ſi quis. l. non aliter 69. ff. de legat. & fidei com. 3.* in certis autem nullus conjecturæ locus eſt. *l. continuus 137. § 2. in fin. ff. de V. O.*

6. Ampliatur hæc Regula 1. ut procedat, etiamſi juramentum adjectum fuerit. *l. juriſgentium. § ſi paciſci ff. de pactis.* Neque enim juramentum oportet eſſe vinculum iniquitatis. *c. inter cœtera 22. q. 4.* & placent Deo magis, hac in parte transgreſſiones, quàm ſuperſtitioſæ obedientiæ. 2. Etiamſi pæna fuerit adjecta. *l. ſi ſtipuler. l. plagij. ff. de V. O.* quia, cùm principale non valeat, neque valere debet adjectio pænæ tanquam acceſſoria. 3. Etiamſi promiſſor diceret, ſe ſcire, promiſſum eſſe de jure impoſſibile, aut contrà bonos mores. Quia jus publicum pactis privatorum mutari non poteſt. *l. jus publicum. ff. de pact.*

7. *INQUIES.* Ex turpibus promiſſionibus, & impoſſibilibus conventionibus producuntur obligationes ſaltem naturales, quamvis ex ijs actiones denegentur, quemadmodum à pleriſque reſponſum eſt in *l. 1. ff. de condict. indebiti.* Sic & ex teſtamento non ſolemni naturalis obligatio naſcitur, licèt actio ex eo denegetur. *CONFIRMATUR* ex *l. 8. ff. de condict. ob turpem vel injuſt. cauſ.* ubi dicitur: *Si ob turpem cauſam promiſeris Titio: quamvis ſi petat, exceptione doli mali, vel in factum ſummovere eum poſſis: tamen ſi ſolveris, non poſſe te repetere.* Atqui ſi ſolutum condici non poteſt, adeſt obligatio naturalis. Ergò. Ad Argumentum ℞. N. aſſumptum. Naturalis ſiquidem obligatio fundatur in æquitate & ratione. *l. Stichum. § naturalis. ff. de ſolution.* Jam verò æquitas & ratio ſuadet, etiam volentes ex turpi cauſa promittere, non obligari. Unde ubicunque eſt actus contrà legem in ratione naturali fundatam, ibi arguitur, quòd agentes voluerint actum eluſorium facere, & hinc ſi ex promiſſione turpi aut impoſſibili dicatur naſci obligatio, ſumitur obligatio latiſſimè ut contineat tam veras, quàm fictas, & prima facie apparentes, non autem prout ſignificat veram & efficacem obligationem. Sicut interdum venditio nomen tenet, licèt nulla ſit quo ad effectum. Quod teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum attinet, Peckius cum DD. *ad l. 1. de condict. indeb.* exiſtimat, hæredem ex illo ne naturaliter obligari. Sed hoc ut verum ſit, intelligi debet in caſu, quo hæres ab inteſtato ſuccedens, ipſemet non percepit voluntatem defuncti; vel niſi teſtamentum per hæredem ab inteſtato impugnatum à judice irritum declaretur. Alioquin

ſi

ſi hæres ab inteſtato ipſemet voluntatem teſtatoris percepit, tenetur in foro interno ſolvere legata, vel fidei commiſſa, etſi teſtamentum vel codicillus omni ſolemnitate careat. Id quod Reiffenſtuel ad *Tit. de Teſtam. & ultimis volunt.* § *4. n. 77.* & § *5. n. 96.* & *ſeqq.* per varia jura exquiſitè probat. Ad conf. ℞. quòd in pari cauſa vel delicto melior ſit conditio poſſidentis. *R. 1. 65. in 6.* Quare ſi pecunia alicui data ſit, ſtupri, homicidij, vel alterius delicti cauſa; ea repeti non poteſt, quia utriuſque turpitudo, tam dantis, quàm accipientis verſatur. *l. 3. & 4. C. de condict. ob turp. cauſ.* ſecus, ſi tantùm ſit turpitudo ex parte recipientis ut puta: dedi tibi, ne furtum faceres, ne homicidium committeres, ut depoſitum vel commodatum reſtituas. Nam his ſpeciebus repetitioni locus eſt. *l. 2. ff. de condict. ob turp. cauſ.*

8. *DICES.* Evitare caſus fortuitos impoſſibile eſt, & tamen valet conventio quâ quis in ſe eos ſuſcipit, eorúmque periculum præſtat, *l. quæ fortuitis C. de pignorat. actione* ac proinde ad impoſibile obligatur. ℞. cum Gail. *2. obſerv. 23. n. 18. & obſ. 52. n. 27.* quòd ſuſceptio caſuum fortuitorum intelligatur de ſolitis, non de inconſvetis & carò contingentibus, ut nimiùm generalis omnium fortuitorum caſuum ſuſceptio, tanquam captionis plena, jure haud ſubſiſtat. Jam verò, quæ ſolita ſunt, plerùmque prævideri poſſunt, ac proinde eorum evitatio in ſe poſſibilis, aut ſaltem ratione ponderari aut menſurari poſſunt. Quod ſi verò inſolitorum caſuum periculum expreſſè quis in ſe ſuſcipiat, tantùm ſe obligat, ut occaſione eorum damni remiſſionem aut reſarcitionem non petet, vel quòd æſtimationem cladis acceptæ alteri reſtituet, quod utique poſſibile eſt.

9 *OBSISTES.* Marci *cap 10* Dicitur faciliùs eſſe, Camelum per foramen Acûs tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum. Atqui Dives obligatur ad ea, quæ ad ſalutem ejus pertinent. Ergò obligatur ad impoſſibile. ℞. Paſſum hunc intelligi de divitibus non corpore, ſed ſpiritu, déque ijs, qui epulonem, helluonem inquam illum imitati pacem ſeu ultimum finem collocant in ſubſtantia ſua, nulláque ornati veſte nuptiali moriuntur.

REGULA VII.

1. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extingvitur cum Perſona.*

2. Deſumitur *ex l. in omnibus cauſis. 68. & l. privilegia 157. ff. h. t. l. quia tale ff. ſoluto matrim. l. ; ff. de cenſib.* exempla quoque hujus Regulæ extant. *in cap. 2. de authorit: & uſu pallij in cap. mandata de præſumpt. in cap. ſanè de privilegijs.*

3. Pri-

3. Privilegium eſt ſpecialis quædam indulgentia juris, aliquid agendi, contrà id, quod regulariter alioquin jure communi permiſſum non eſt, ídque ob aliquam æquitatis rationem. Nam ſi naturali æquitati, aut juri divino adverſetur; tyrannis & everriculum civitatis erit, non privilegium. *l. ult. C. Si contra jus vel utilitatem &c.*

4. Privilegia alia ſunt *cauſæ* quæ certæ alicui cauſæ, ſeu generi actionis tribuuntur: ut cauſæ matrimoniali, Fiſci, Dotis, Decimarum. Alia ſunt *rei* ſeu realia, quæ certæ dignitati, Eccleſiæ, Univerſitati, civitati &c concesſa ſunt. Alia denique *perſonæ*, quæ proximam cauſam à perſona habent, & quæ principaliter perſonæ gratiâ conceduntur. Scil. Quando vel nominatim perſonæ exprimuntur proprijs ſuis nominibus, ut perſona Titij vel Caji vel communi quidem vocabulo, ſed cum certæ qualitatis deſignatione, ut cum conceditur privilegium, minoribus, profeſſoribus, conſiliarijs aut alijs.

5. Regula itáque vult, quòd quemadmodum noxa, delictum, pæna, excommunicatio & infamia caput ipſum ac perſonam delinquentis ſequitur, non ſecus ac lepra leproſum, aut umbra corpus quocunque eat, nullíque alteri perſonæ adhæret, *l. Sancimus. C. de poenis.* Ità & privilegium perſonale, quod virtutis præmium eſt, ſemper perſonam ſequitur, donec privilegiatus aut eo abuti cœperit. *l. 2. C. de privil. Schol.* aut tempus ad quod limitatum erat, expiraverit. *l. quoties C. de precib. imper. offer.* aut longo tempore adverſùs illud præſcriptum ſit. *l. 1. ff. de nundinis. cap. terra de privilegijs.* Aut ex juſta cauſa revocatum fuerit. *Cap. ſuggeſtum. de decimis. cap. nuper de V. S.* Aut denique ſi ei derogatum. *cap. veniens. de reſcript.* Aut renuntiatum fuerit. *cap. nobis de Decimis.*

6. Opponi poſſet, quod Epiſcopum cui ex privilegio (quod perſonale eſt) pallii geſtandi poteſtas facta eſt, privilegium ſuum non ſequatur, quando quidem nec præſente Pontifice, aut ejus legato, nec extrà territorium ſuum etiam conſentiente Diæceſano Epiſcopo, illo uti poſſit. *cap. antiquam. de privilegijs. cap. tuarum de author. & uſu pallij.* Sed & quòd privilegium pallij, Epiſcopi perſonam ſequatur in eo loco, & illis circumſtantijs quibus Epiſcopus pro tali perſona reputatur. Cùm autem ab initio privilegium ejus certis locis circumſeptum ſit, nec ejus perſona extra territorium conſideretur: æquum eſt ut privilegium non ſequatur perſonam ejus.

7. Hìc incidenter loquendo de privilegijs realibus, obſervandum, quòd ſi locus authoritate Epiſcopi aut ſuperioris deſtructus fuerit ſinè ſpe refectionis, nullis remanentibus religijs, quòd inquam amittantur exemptiones ſeu privilegia loco aut rei concesſa, latè Eraſmus à

à Cho-

à Chokier. *de juriſd. ordinarij in Exemptos part. 3. q. 19. à princ. & q. 20. n. 5.* ubi *n. 6.* ſubdit, quòd ſi locus fuerit deſtructus, fatali caſu, ſeu à non habente authoritatem, eô reſtauratô reviviſcat etiam exemptio; ob rationem diſcriminis: quia quando de jure deſtruitur, titulus caſſatur, at verò facti calamitas, nec jus nec titulum aufert, nec nomen. *l ſervitutes §. ſi ſublatum ff. de ſervit. urban. prædior.* Sic quoque ſi locus deſtruatur ab hoſtibus, retinet omnia ſua privilegia. Eraſm. à Chokier. *d q. 20. n. 6.* Gail. *lib. 2. obſerv. 61.* Barbos *hic n. 7.* Quòd ſi Eccleſia, Civitas, Caſtrum, Collegium aliáque loca authoritate ſuperioris in alium locum transferantur, retinent quóque ſua jura & privilegia. Gail. *loc. cit. n. 10.* Chokier. *cit. q. 21.*

8. Dictum in Regula, quòd privilegium perſonale extingvatur cum perſona, cui abſtare videtur. *Primò.* quód Senatorum Viduæ, privilegio maritorum illis extinctis durante viduitate gaudeant. *l cum te C. de nupt. l. fin. C. de incol.* *Secundò.* Quòd beneficium reſtitutionis in integrum, quod minoribus conceditur, & auxilium *S.C. Velleiani,* quod mulieribus tribuitur ſit perſonale, & nihilominus tranſeat ad hæredes. *l. non ſolùm. ff de reſtit in integ. l. hæredes. C. ad Velleian.* *Tertiò.* Quòd privilegia perſonalia ad domeſticos ac familiares ſe extendant. Gail *lib. 2. obſ. 68. n. 6. & 1. P.P. 6. n. 21. & de arreſtis. c. 8. n. 10.* Sicut & privilegia Eccleſiæ & Clericorum ſæpe ſe extendunt ad colonos eorundem. Panormit. *in c. inter alia. de immunit. Eccles.*

9. Ad 1. ℞ Quòd vidua, quàm diu manet orbata marito, cenſeatur fictione juris adhuc exiſtere in matrimonio mariti rebus humanis exempti *l. fin. c. de bonis maternis & materni generis.* Gail. *1. P.P. 6. n. 23.* quamobrèm non tam tranſit privilegium perſonale Mariti in Viduam, quàm in eadem continuetur. Ad 2. ℞ Quòd etſi beneficia reſtitutionis & Velleiani non ſint purè & ſimpliciter perſonalia, cùm in his potiſſima cauſa non ſint nudæ perſonæ, ſed læſio ex facilitate nimiâ emergens, qua probatâ, nec aliter quidem, reſtituuntur. *l. quod ſi minor. l. non omnia ff. de minorib.* jam verò hîc agimus de beneficijs ſeu privilegijs, queîs perſonæ quibus indulta, cauſam proximam præbent. Ad 3. ℞. ità interpretanda eſſe privilegia ut inutilia non maneant: atqui, niſi privilegia, quæ familiam concernunt, extenderentur ad famulos & domeſticos, inutilia remanerent. ergò.

REGULA VIII.

1. *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.*

2. Colligitur *ex l. filius. § 1. ff. de accuſat. & ex cap. ſcribam de præſump.*

hanc

hanc Regulam exornant Menoch. *De præſumpt. lib. 5. præſumpt. 32.* Maſcard. *de probationib. concluſ. 100. 3. n. 37.* Card. Tuſch. *tom. 5. lit. m. concl. 28. per totam.* Barbos *in tract. axiom. jur. uſu frequent. axiom. 142.*

3. Semel malus, id eſt in malitia deprehenſus, ſeu de ea legitimè convictus; ſemper præſumitur, ab illo nempe tempore, quo ſemel malus extitit, in futurum talis, non verò reſpectu temporis antecedentis; quamobrèm licèt tabellio, qui falſarius convincitur, præſumatur deinceps fore talis, & propterea removeri debeat, non tamen præſumitur retrò falſarius, quò ad inſtrumenta confecta ante compertam falſitatem ut reſolvunt DD. apud Barbos. *in collect. hic n. 9.* Præſumitur inquàm malus in eodem genere mali. Nec enim is, qui ſemel adulter eſt, ſtatim homicida, fur, alióve crimine obſtrictus cenſeri debet, præcipuè ſi de vitijs oppoſitis agatur, qualia ſunt avaritia, prodigalitas, audacia, timiditas, ſive nimia animi abjectio. Unde quod dicitur: defleat peccator, quia offendens in uno factus eſt omnium reus: ad ipſa peccata referendum non eſt, ſed interprete Innoc. II. *in cap. fin. de poen. Diſt. 5.* accipiendum eſt, quantùm ad vitam æternam, qui enim in uno tantùm peccato mortali manet, æternæ vitæ januam perinde non intrabit, ac ſi peccatis omnibus eſſet involutus.

4. Quæ utilitas & vis hujus præſumptionis? ℞ ea eſt, quòd contrariô non probatô, habeatur pro veritate, adeo ut vel liquidiſſima dicatur probatio. Gail. *lib. 2. obſ. 97. n. 6.* Menoch. *præſ. 1. & ſeqq.* vel certè relevet ab onere probandi. Gail. *lib. 1. obſ. 21. n. 8. & lib. 2. obſ. 62. n. 9. & de arreſt. c. 7. n. 4.* Nam lex parificat illos caſus, quòd quis probet, aut præſumptionem juris pro ſe habeat. Alciat. *in proem. de præſumpt. cap. 3.* quapropter onus probandi contrarium, transfundit hæc præſumptio in adverſarium, ut ſe bonum non ampliùs malum eſſe doceat.

5. *DICES.* Quilibet præſumitur bonus, neque immemor ſalutis æternæ, & ubi actus aliquis ſe habere poteſt ad bonum & ad malum, lex præſumit eum eſſe bonum. Gail. *lib. 2. obſerv. 110. n. 8* quare & Ulpian. ait *in l. abſentem ff. de pœnis.* ſanctius eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem punire. ℞ quòd quilibet in dubio præſumatur bonus niſi ex anteacta vita aliud colligatur. Nam ut D. Chriſoſt. ait: *Anima ſemel malignitate capta, omnes inſaniæ numeros explicare conſuevit.* Igitur cùm mutatio vitæ, utpote accidens, non præſumatur, vetus vera manet Regula, quòd ex præterita vita ominemur, quid in futurum præſumendum. *cap. fin. de præſumpt.* ſic quòque verùm eſt, quòd cùm planè verſamur in bivio, meliùs ſit nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare. Aſt hic dubium di-

diſſolvitur per malitiam præcedentem, quæ etiam in unico actu illuxit; quippe etiam ea, quæ ſemel duntaxat facta, in conſideratione legum ſunt. Hinc quod *ſemel* placuit, ampliùs diſplicere non poteſt, & *ſemel* DEO dicatum, non poteſt ampliùs ad humanos uſus transferri.

REGULA IX.

1. *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.*

2. Deſumitur *ex c. penult. de ſent. excom. in 6.* convenit cum *l. ſi pupilli 6. §. ſi ego. ff. de negot. geſt.* exornant illam Gail. *de pignor. obſ. 5. n. 3.* Menoch. *conſil. 191. n. 83.* Surd. *deciſ. 33. n. 15.*

3. Ratum habere dicimur, cùm approbamus, quod noſtro nomine geſtum eſt. Quod enim alterius nomine actum, nec verè nec fictè ad nos ſpectat, neque habet effigiem aut ſymbolum actûs noſtri, proinde conſenſus noſter reapſe poſterior, in hujusmodi actum fictione translativa tranſire ſicque illum facere noſtrum, non poteſt. *Leges & DD.* apud Barboſ. *in collect. hic n. 6.*

4. Nec obſtant textus *in l. ſi fundus §. 1. ff. de pignorib. & in l. aliena. 20 in princ. ff. de pignorat. act. & in l. mater. 3. C. de rei vindicat.* Ubi admittitur ratihabitio & tamen actus de quibus ibi, non ſunt geſti nomine ratum habentis. ℞. enim hanc Regulam tantùm procedere, ubi agitur de negotio, quod nullo modo noſtrum eſt, niſi ex voluntate agentis, tunc enim oportet, illud noſtro nomine geri, ut ratihabitio ſequatur, at verò ubi negotium à principio noſtrum eſt, vel ad nos ſpectat reipſa, id eſt, quia ſuper re noſtra celebratur tunc licet non fiat noſtro nomine, equidem ratihabitio locum habebit. Sic intelliguntur textus *in d. § 1. & in d. l. mater.* Agitur enim ibi de ratihabitione venditionis, & hypothecæ rei meæ. Vide prolixiùs Barboſ. *loc. cit. n. 10. &* canis *ad hanc Regulam.*

REGULA X.

1. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.*

2. Regula huc translata eſt *ex cap. pen. de ſent. excom. in 6. ex cap. fin. de jurejur. eod. lib. 6. & c. ſi tibi 17 de prabendis in 6.* Concordat Regula juris civilis *152. §. 2. in maleficio ratihabitio mandato comparatur.*

3. Ratio Regulæ eſt, quia ratihabitio nihil aliud eſt, quàm approbatio illius, quod actum eſt, & non differt à mandato, niſi quod hoc

præcedat factum, illa verò ſubſequatur. Sed equidem obſerva, ut ratihabitio in delictis mandato comparetur, requiri ut delictum nomine ratihabentis factum ſit, aliàs non tenetur ratihabens. Carpzovius *praxi crim. quæſt. 4. n. 19.* Bronchorſt. *ad d.* §. *5.*

4. Ut ratihabitio retrohatur & effectum ſuum operetur inſuper requiritur. I. Ut nullum intervenerit impedimentum retrotractionem & utriúſque extremi conjunctionem impediens. Unde oportet rem eſſe integram, id eſt, tempore ratihabitionis omnia eſſe in eo ſtatu, quo fuerunt tempore quo negotium eſt geſtum. Bartol. Decius, Surdus apud Barboſ. in *Collect hic. n. 7.* II Ut per ratihabitionem non fiat præjudicium tertio, cui vel medio tempore, vel aliter jus quæſitum eſt. DD, apud Barboſ *loc. cit. n 8.* III. Ut actus fuerit à principio validus, & ſic inveniat principium confirmabile. 4. Ut expreſſum mandatum non requiratur pro forma actûs à principio. 5. Ut actus ratihabendus poſſit pendere. DD. & LL. apud Peck *hic n. 16.*

5. Poſitis autem omnibus ad ratihabitionem requiſitis, retrotrahitur illa non ſolùm ad tempus, & ſic ad diem actûs celebrati ut Docent DD. apud Barboſ. *loc. cit. n. 10.* Sed etiam ad locum actûs à principio geſti, in quo ratum habens idipſum fingitur geſſiſſe vel mandâſſe. *l. cum decem.* §. *1.* ibi; *quaſi tunc præſenti.* Unde fit, ut is, qui ratum habet contractum vel delictum, non in loco ratihabitionis, ſed in loco actûs geſti forum ſortiatur juxtà *cap. ult. de foro compet.*

6. Porrò non tantùm verbis ratihaberi poteſt, ſed etiam actu, niſi quando lex pro forma expreſſam ratihabitionem exigit. Quin & fortior, eſt ratihabitio quæ facto fit, quàm quæ verbis interponitur, cùm ſæpe fictè homines loquantur. Gail. *2. P. P. 9. n. 32.* vide latiùs Peck. *hoc loco.*

REGULA XI.

1. *Cùm ſunt partium jura obſcura, reo favendum potiùs quàm actori.*

2. Deſumitur *ex c. inter dilectos 6. in fin. de fide inſtrum. ex c. 3. de probat. & ex cap. cùm adſedem. 15. de reſtit. ſpoliat.* conſonat *lex 125. ff. h. t. favorabiliores* (inquit) *rei potiùs, quàm actores habentur.*

3. Obſcura ſunt jura partium, quando judex ex conflictu probationum vel privilegiorum non videt, quid judicet, nihílque eſt, quod illi perſuadeat, pro quo ſententiam ferre poſſit. In tali itaque incertitudine Pontifex vult reo potiùs, quàm actori favendum. Sed cur? nunquid à favore judicem alienum eſſe oportet? Ratio eſt, tum quia in poteſtate actoris eſt, quando & coràm quo judice rebus ſecum

per-

perpenſis reum conveniat, ideóque ſicut miles cum adverſario digladiaturus paratus ad arenam judicij procedere debet, contra verò reus ad cauſam inopinus imparatúſque trahitur; ita ſuccurrendum potiùs reo, dum partium jura obſcura ſunt, quàm actori, qui ultrò ſe conjecit in neceſſitatem. Tum quia deterior eſt, qui injuſtè aliquem aggreditur, quàm qui pari culpa ſe defendit. Unde & in re turpi melior eſt cauſa retinentis. *l. 2. ff. de condict. ob turp. cauſ.* tum demum, quia in dubio humanior interpretatio ſequenda, & meliùs eſt innocentem abſolvere, quàm nocentem damnare, tutiúſque eſſe exiſtimatur, ſi erroris periculum ſubire oporteat, de iniqua miſericordia, quàm de injuſta crudelitate DEO rationem reddere. *cap penderet. Diſt. 50.* Adde; quòd pro cujusque libertate, ſeu immunitate ac inculpabilitate in dubio præſumatur.

4. Regula procedit, etiamſi conſtet, quòd reus nullum omnino jus habeat, ſolóque poſſeſſionis commodo fruatur, quoniam ex actoris tantùm perſona jus metimur. *l. 1 §. ff. ſi pars hæredit. pet.* néque curatur de jure poſſeſſoris, ſi non conſtet de jure petitoris. *l. fin. C. de rei vindic.*

5. Neque movet exemplum Salomonis qui ortâ quæſtione de partu inter duas mulieres, in obſcuro non adjudicavit reæ partum, ſed eum divelli juſſit. *text in cap. afferte. De præſumpt.* QUIA id non tam judicando, quàm veritatis explorandæ cauſa fecit. Cui Argumento eſt, quòd non permiſerit infantem dividi.

6. Sed neque premit, qnòd interdum judex neutri litigantium faveat, ſed utrique partem rei attribuat ut *in l. 4. ff. com. dividundo.* Id enim fit, non quòd utriúſque partis jura obſcura ſint, ſed ut ea quæ alioquin certa ſunt, certo modo explicentur & dirimantur, Regula autem noſtra loquitur, ubi partium jura obſcura ſunt, in quibus ordinarium eſt, ut reus abſolvatur, ſi in probatione actor defecerit, niſi præſumptio eſſet pro actore. *Sanè ſi actor,* inquit Greg. IX. *in cap. fin. §. fin. de jurejur. omninò in probatione defecerit, reus debet) etſi nihil præſtiterit) obtinere; præſumptione verò faciente pro illo, reo deferri poteſt ad oſtendendam ſuam innocentiam juramentum, niſi judex (inſpectis perſonarum & cauſæ circumſtantijs) illud actori videat deferendum.*

7. Limitatur equidem Regula, quando de re favorabili controverſia foret, qua ſpecie actori magis favetur, puta ſi agatur pro libertate pro dote, pro teſtamento, pro matrimonio.

REGULA XII.

1, *In judicijs non eſt acceptio perſonarum habenda.*

2, De-

2. Deſumitur ex varijs locis S. Scripturæ *proverb. cap. 18. & alibi. cap, novit. verſ. cæterùm. De judiciis* & docent D. Thomas *2. 2. q. 63. art. ult.* Sotus *de juſtit. lib. 3. q. 6. art. 5.* S. Antoninus *part. 2. tit 1. cap. 19. & 20.*

3. Tametſi enim, cùm jura partium ſunt obſcura, reo potiùs ſavendum ſit, quàm actori, ut paulò ante dictum: nemo tamen ideo arbitrari debet, ſacroſanctam illam judiciorum officinam ac majeſtatem, præruptis juſtitiæ præceptis perſonarum acceptionem admittere, à qua lex Divina, & naturalis ratio, jus gentium; legéſque tam Civiles quàm pontificæ abhorrent. Nam quòd reo in dubio faveant jura, non ex perſona rei fit, ſed ex natura defenſionis, quæ ſi par & æqualis ſit probationi agentis, meritò prævalet: qui verò perſonam conſiderat, nullam habet defenſionis rationem, ſed duntaxat ejus, qui litigat, perſonam reſpicit, etiamſi ſit actor.

4. Ex quo reſultat, quòd perſonam hominis accipere ut ait Gregorius, ſit, hominem, non quia homo eſt, ſed propter aliquid quod circà ipſum eſt, honorare. Sícque acceptio perſonarum eſt injuſtitia, per quam perſona perſonæ præfertur, in tribuendo ſeu conferendo ei aliquid, quod ex debito juſtitiæ alteri, vel magìs idoneo tribuendum, aut conferendum erat.

5. Ceſſat autem acceptio perſonarum in illis actibus, in quibus non agitur de qualitatibus, nec oportet ad illas attendere, ut quia v. g. diſtributio non fit ſecundùm leges juſtitiæ, ſed juxtà voluntatem diſtribuentis, puta: ſi quis bona propria ad arbitrium ſuum diſtribuat. Tunc enim valet illud quod apud Math. eſt. *Nónne licet mihi quod volo facere?*

6. Porrò Regula noſtra non ſolùm locum habet in judicijs, ſed etiam in arbitrijs, item in electione ad dignitates, quia cùm non loca, vel generis nobilitas, ſed merita bona nos DEO conjungant, & mala à DEO disjungant. *cap. cum loca 40. de præbend.* Prælati Eccleſiarum ſine acceptione perſonarum eligendi ſunt, & non niſi idoneis beneficia Eccleſiaſtica conferenda. *c. recurrat. 32. q. 4.*

7. OPPONES. Lex conſtituit ex ijſdem facinoribus aliter puniri ſervos, quàm liberos. *l. aut facta ff. de pœnis.* ignobiles, quàm nobiles. *cap. qui. 24. q. 3.* juvenes, quàm Senes. *l. 1. ſi quis in gravi ff. ad Syll.* mulieres, quâm viros. *cap. indignanter.* Divites, quàm pauperes. *cap. tempora 6. q. 7.* humiles, quàm graves. *cap. quisque 2. q. 8.* quæ tamen omnia ad acceptionem perſonarum ſpectare videntur.

8. ℞. Dum etiam de delictis puniendis agitur ad utilitatem reipubl. ac humanæ Societatis conſervationem vertenda eſt cogitatio, ea enim exigit ordinem quendam politicum, ordo differentiam perſona-

ſonarum, differentia hæc, diverſum jus, tam in meritis, quàm in pœnis, præſertim cùm ſublimiores, & bonæ frugi homines non tam leviter ducantur ad delinquendum, quam fex plebis. Quocirca duplex juſtitia ſtatuitur: DISTRIBUTIVA, quæ habita perſonarum ratione meritum & pœnam conſtituit, & de qua nulla in hac Regula mentio fit. Et COMMUTATIVA, quæ perſonas non diſtinguit, ſed ex commercijs, commutationibus, pactis & conventionibus, jus ſuum ſecundùm proportionem arithmeticam cuique tribuit, & de hac procedit Regula. Alioquin ubi inæqualitas inter perſonas reperitur, æquum eſt, æqualia æqualibus, inæqualia inæqualibus diſtribui. Unde facilè colliges, cur aliter juvenes, quàm ſenes, fæminæ, quàm viri; nobiles, quàm ignobiles puniantur.

REGULA XIII.

1. *Ignorantia facti, non juris, excuſat.*

2. Exempla huc accerſe *ex l. 1. ff. de juris & facti ignor. ex cap. 1. & 2. de ordinat. ab Epiſcopo. ex cap. 2. de cognat. ſpirit. ex cap. penult. de clerico excom.*

3. Ignorantia eſt privatio ſcientiæ, & ſecundùm D. Thom. *in 4. ſent. Diſt. 30. art. 1.* Differt ab errore, quòd hic ponat judicium perverſum, & ſic in committendo conſiſtat; Ignorantia verò, de ſuî natura non ponat aliquam cognitionem, & merè in omittendo conſiſtat. Equidem à juriſperitis ignorantia ſæpe accipitur pro errore.

4. Ignorantia alia eſt *juſta* & *probabilis*, ſeu ut Theologi dicunt, *invincibilis*; alia *craſſa* ſeu *ſupina*, alia autem *affectata*. Hæc diviſio datur intuitu ſubjecti ignorantis; conſiderata autem reſpectu rei ignoratæ; ignorantia alia eſt *facti*, alia *juris*. *Factum* verò, prout opponitur juri, eſt omne illud, in quo conſiſtit actus in ſe, prout eſt ex parte agentis. é contra *jus*, prout opponitur facto, eſt quidquid conſiſtit in deciſione & authoritate legum, ut patet *ex l. 1. ff. de jur. & facti ign.* Unde fit, ut ſicut appellatione facti quicunque actus continetur, ſive ab homine, ſive à DEO, vel à natura proveniat; ſic ſub juris nomine non tantùm naturale, Divinum & commune, ſed etiam ſtatutarium, municipale, & ſynodale contineatur.

5. His præmiſſis Regula vult, quòd ignorantia *facti* alieni quæ regulariter probabilis eſt, regulariter excuſet, *juris* verò non excuſet; quia regulariter eſt improbabilis. Conſtat proinde Regulam non procedere in ignorantia affectata, craſſa aut improbabili.

6. Sed cur faciliùs præſumitur, & excuſat ignorantia facti quàm juris? ℞. ideo, quia facta ſunt penè infinita, & quia clam nobis fiunt

 multa.

multa. Jus autem ſive lex promulgatur omnibus, ut lata culpa ſit diſpoſitionem juris ignorare, juris inquam, non tantùm Divini, naturalis, aut gentium; ſed etiam humani, ſive communis, ſive municipalis aut ſtatutarij, niſi civis eſſet novellus, in quo tunc ſtatuti ignorantia præſumitur & ideò excuſabilis eſt teſte Gail. *lib. 2. obſerv. 48. n. 28.* vel niſi eſſet ignorantia alicujus novellæ conſtitutionis, non clauſæ in corpore juris. Barboſ. *in collect. hic n. 24.* vel quando jus eſſet dubium, obſcurum, aut arduum. Vel denique, niſi ſint tales perſonæ, in quibus ſcientia juris non requiritur, ut ruſtici, mulieres, milites, minores. Cardin. Tuſchus. *V. ignorantia. concluſ. 22. n. 25.*

7. Cæterùm, dum Regula dicit, quòd ignorantia juris non excuſſet; intellige, quò ad acquirendum, non quòad damnum evitandum, in quo ignorantia juris excuſat, id eſt non nocet. ita Diſertè Papinianus *l. 7. ff. de jur. & fact. ignor.* inquit: *juris ignorantia non prodeſt acquirere valentibus. ſuum verò petentibus non nocet*, & *l. 8.* cod. *error facti ne maribus quidem in damnis vel compendijs obeſt. Cæterùm in omnibus juris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet.* Quare hæres, qui juris ignorantia ductus ſolvit integrum legatum, vel fideicommiſſum perdit falcidiam, *l. error. 9. C. ad leg. falcid.* Quia hoc caſu de compendio agitur. Sin autem per juris ignorantiam indebitum alicui ſolutum ſit (quia tunc damnum unius & alterius lucrum vertitur) utique ſoluti repetitio conceditur. *toto tit. ff. & C. de condict. indeb.* Nec obeſt ſolventi ignorantia juris, etiamſi culpâ non careat, cùm naturalis æquitas hac in re præponderet, quæ prohibet locupletari cum alterius detrimento. *l. nam hoc natura. 14. ff.* eod.

8. Peculiariter receptum eſt in militibus & minoribus 25. annis; ut nec in compendio faciendo his obſtet ignorantia juris, propterea, quòd illi magìs arma, quàm leges tractent, hi verò propter imbecillitatem judicij veniâ digni ſint. Adde & ignorantiam juris in compendijs tunc demùm obeſſe; ſi ignorans juriſconſulti copiam habuerit, quem potuerit conſulere, vel ſua prudentiâ ita inſtructus fuerit, ùt facilè ſcire potuerit, ignorantiam juris ſibi detrimento futuram. *l. regula §. ſed juris de jur. & facti ignor.* quæ inſignis hac in re limitatio eſt.

REGULA XIV.

1. *Cùm quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.*

2. Explicatiùs hoc ipſum tradit lex, *qui in alterius 42. ff. h. t.* his verbis: *qui in alterius locum ſuccedunt, juſtam habent cauſam ignorantiæ, an id; quod peteretur, deberetur. Fidejuſſores quoque, non minùs, quàm hæredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi*

cum

cum eo agatur, non etiam ſi agat. Nam planè qui agit, certus eſſe debet, cùm ſit in poteſtate ejus, quando velit experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. Ex quo textu colligitur Regulam noſtram procedere, tam in ſucceſſore, *rei* tantùm, quàm in ſucceſſore *juris & cauſæ*, item tam in ſucceſſore *univerſali*, quàm *particulari*, licet aliàs magnum inter hos ſucceſſores ſit diſcrimen. Ratio eſt, quia, tametſi facti proprij regulariter nulla ſit probabilis ignorantia, ùt præcedenti regula dictum; ignorantia tamen facti alieni excuſat, & ideo, qui in jus alterius ſuccedit, juſtam habet ignorantiæ cauſam, & per omnia bonæ fidei eſſe exiſtimatur, adeò, ut nec ob moram in expenſas condemnari nec doli inſimulari poſſit. Hinc fit, quòd hæres emphytentæ aut vaſalli, fundum authoritate ſua alienans, aut inveſtituram rei feudalis, quam tanquam allodialem poſſeſſam videt, non petens, excuſetur. Gail. *lib. 2. obſ. 48. n. 11.* Mynſinger. *5. obſ. 4. n. 8.* ſic & ſi inſtrumentum habeat executionem paratam contra principalem etiam non citatum; hæres tamen erit citandus ſaltem ut diſcutiatur qualitas, an ſit hæres?

3. INQUIES. Pro Regula receptum, non debere ſucceſſorem eſſe melioris conditionis, quàm ſit ſuus author. *l. non debet. ff. h. t.* ſeu de R. J. Unde hæredibus non conceditur, quòd defuncto conceſſum non fuiſſet. Ergò ſicut defunctus ignorantiam prætendere non potuiſſet, ita nec hæres poterit. Accedit, quòd Ulpianus reſpondit, non debere ex perſona hæredis circa obligationem aliquid novi induci, ne præjudicetur creditiori, ideòque legis fictione eadem perſona cenſetur hæredis & defuncti. §. *4. in authent. de jurejur. à moriente præſtito propter menſuram ſuæ ſubſtantiæ*, & idem operatur fictio in caſu ficto, quod veritas in caſu verò.

4. ℞. ſucceſſorem non eſſe melioris conditionis, quàm prædeceſſorem ſi eadem manet in utroque ratio, ſecùs verò, ſi alia, ut hîc ſit ratio in ſucceſſore, qui factum alienum prædeceſſoris ſui ignorare poteſt, cùm tamen ipſe prædeceſſor, ſuum non præſumatur factum ignorare. Unde ad aliud ℞. quòd ex perſona hæredis non inducatur aliquid novi quò ad naturam obligationis, dummodo de obligatione conſtet. Jamverò hæres utpote phyſicè alius à teſtatore, factum, ſeu contractam ab eo obligationem ignorare poteſt.

REGULA XV.

1. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.*

2. Deſumitur ex *l. cum quidam ff. de liber. & poſthum.* & ex varijs locis juris canonici.

3. Odium

3. Odium in hac materia non accipitur formaliter, prout importat appetitum diſſonantem à charitate de quo S. Thomas 22. q. 34. ſed accipitur latiùs, prout ſignificat tædium & moleſtiam, & ita complectitur ea, quæ præbent materiam faſtidij, cujuſmodi ſunt omnia illa, quæ pænam & diſpendium important, aut primo aſpectu videntur acerba & injuſta, per contrarium verò favor hîc dicitur, quidquid benevolentiam indulgentiam, aut commodum ſonat

4. Odioſa igitur ſunt reſcripta, quæ pænam aut gravamen continent. Odioſum quóque omne illud, quòd recedit à jure communi. Nam cùm leges communes ſumma animi alacritate, publicæ tranquillitatis favore conditæ fuerint; non poteſt, receſſus ab ijſdem non videri odioſus. hinc diſpenſationes ſtrictam recipiunt interpretationem. Sed

5. *ROGABIS*, an ergò nunquam ampliatio fiat in odioſis? R. fieri interdum & 1. quidem, quando nisì fieret ampliatio, diſpoſitio odioſa facilè elidi. aut effectum ſortiri non poſſet. Peck. *4. de teſtam. con. 38. & cap. 40. n. 2.* 2. Quando extenſio fit per aliam legem interpretantem. 3. Quando lex odioſa favore reipublicæ, Eccleſiarum, aut animæ principaliter facta eſt. 4. Quando appoſita eſt clauſula, ut de ſimilibus ad ſimilia procedatur. 5. Quando aliàs reſultaret abſurditas. 6. Quando caſus odioſus tantùm exempli gratiâ expreſſus eſt. *cap. ſi Papa de Privileg.* 7. Demùm, quando caſus ad quem fit extenſio ſecundùm communem uſum loquendi ſub expreſſo continetur. Vide Gail. *1. PP. 6. n. 17. & ſeqq.*

REGULA XVI.

1. *Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum.*

2. Deſumitur ex *cap. ſi ſuper gratia. 9. de officio deleg. in 6.* & ex *cap. ſi cui nulla 36. de præbend. eod. lib. 6.*

3. Beneficium Principis propriè & in ſpecie eſt, quando de ſuo, vel ſecundùm vel præter jus commune aliquid cuipiam concedit, veluti, cum vel feudum tribuit, vel domum aliquam propriam donat. Privilegium autem propriè eſt contrà jus commune, ut cum dicit Princeps ſe aliquid concedere, tali lege non obſtante. Verùm hoc loco diſtinctio ſervari non debet, cum & privilegium effuſâ quadam interpretatione, hîc contineatur ſub nomine beneficij.

4. Non dicit Regula *debet*, cujus verbi natura eſt, ut inferat neceſſitatem, ſed *decet.* propter quod beneficium ſubditis conceſſum, poteſt per Principem regulariter revocari. Arg. *c. in noſtra.* Gail. *2. obſ. 60. n. 17.* (quidquid contradicat hîc Caniſius) ídque de plenitudine poteſta-

teſtatis. Confer. Gail. *2. obſ. 1. n. 17. & obſ. 26. n. 13.* quâ tamen uti, non abuti debet. Quamvis enim ejus ſit ſolvere legem & privilegium, qui conceſſit; hoc tamen intelligendum, niſi beneficium ſeu privilegium causâ remunerationis conceſſum fuerit, aut niſi inferior à Principe, qui plenitudinem poteſtatis non habet illud conceſſerit vel niſi conceſſum fuerit alicui non ſubdito. Gail. *2. obſ. 60. n. 12.* Caniſ. & Peck. hîc. vel niſi privilegium tranſierit in contractum, cujusmodi eſt, quod Princeps in auguratione ſua jurat ſervare, aut conceſſit ob fortiter geſta per modum præmij promiſſi. Ratio eſt, quia ſi ſtaret in nuda Principis voluntate contractum initum, aut tale privilegium infringere, nullus cum eo contrahere vellet, & qui princeps foret omnium, omnium commercio careret. Igitur cùm contractus ſit ultrò citróque obligatorius, & jure naturæ vinculum inducat, meritò Princeps in contractibus conſideratur ut privatus, atque ut quivis alius fidem ſervare debet. Gail. *2. obſ. 55. n. 7. & 8.* Quæ tamen rursùs exaudienda ſunt, niſi privilegium ejuſmodi enormiter læderet ipſum concedentem præter ejus intentionem, niſi juſta cauſa revocandi ſuperveniat, niſi nondum acceptatum fuerit, niſi ſubditus privilegiatus eo abutatur, aut ingratus eſſe cœperit. Quæ omnia eleganter expendit Felin apud Peck.

5 Cùm privilegia alia ſint *realia*, alia *perſonalia*, meritò Q. de quibus Regula loquatur? quidam arbitrantur non niſi realia hîc contineri, eò quód privilegia perſonalia non maneant, ſed cum perſona extingvantur. Sed hæc opinio diſplicet; quia hoc perpetuum & manere dicitur, quod confertur ad vitam impetrantis, quin & actiones perpetuæ dicuntur quæ tantùm triginta annis durant.

6. Quid equidem ſi dubium ſit juxtà verba & qualitates, an *reale* ſit an *perſonale*, quale judicandum? aliqui putant ſi verba referantur ad perſonam, eſſe privilegium *perſonale*, ſi ad rem, eſſe *reale*. Sed melius dicendum videtur, Privilegium ſi ſit odioſum, quia contrà jus commune, vel quia cedit in aliorum præjudicium; in dubio eſſe cenſendum *perſonale*, quia odia ſtrictè capienda: ſi verò ſit favorabile, continens merum beneficium, judicandum *reale*, cùm deceat beneficia Principum eſſe manſura & largè interpretari. Zoëſ. *ad tit. de privilegijs & exceſ. privil. n. 6.* ubi *d. n. 29.* tradit, quot modis privilegia amittantur.

7 *OPPONES* contrà Regulam. Succeſſor poteſt revocare factum defuncti, quia licet Princeps contrahens ligetur contractu, non tamen illius ſucceſſor. Tum quia morte Regis finitur honor Regis præcipuè electivi. Tum quia Princeps non poteſt imponere legem ſucceſſoribus. ℞ communem ſententiam eſſe, quòd contractus Principis,

 dum-

dummodo in magnum Coronæ præjudicium non vergat, tranſeat ad ſucceſſores, eóſque obliget. Si quidem juſtitiæ & rationis ordo ſvadet, ut, qui à ſucceſſoribus ſua mandata ſervari deſiderant; prædeceſſoris ſui voluntates cuſtodiant, præſertim ſi ſucceſſor hæres quóque fuerit defuncti, vel beneficium, contractúmve confirmavit. Igitur morte Regis finitur quidem honor & poteſtas Regis, quò ad ad futura, non quò ad præterita legitimè geſta.

REGULA XVII.

1. *Indultum à jure beneficium non eſt alicui auferendum.*

2. Deſumitur ex *l. 1. ff. de ferijs.* & ex *l. adulter. C. ad leg. juliam. de Adulterijs.*

3. Regula hæc intelligitur non tantùm de indulto jure naturæ aut gentium beneficio; ſed etiam de eo, quod jure civili, ſeu communi conceſſum eſt. Nam Jus naturâ ſuâ æternum eſt, & licet ſubinde jus commune corrigi & emendari poſſit, vel tacito populi conſenſu, vel authoritate ſummi Magiſtratûs, aut Principis voluntate, aliâ poſtea lege latâ, ipſa tamen lex ea intentione conſtituta fuit, ut perpetuò maneat, niſi neceſſitas aut viciſſitudo rerum aliud expoſcat. Et hinc plerúmque in legibus & novis Principum conſtitutionibus adjicitur hæc clauſula: *perpetuis duratura temporibus.*

4. *DICES.* Lex indulget patri, ut in bonis adventitijs filij familias uſum fructum habeat. *l. cum oportet C. de bonis quæ liber.* cuique tamen teſtatori liberum eſt filiofam. Conditione hac adjectâ bona ſua relinquere: ne Patri obveniat uſus fructus, adeóque Patrem indulto à jure beneficio privare. ℞ quòd lex ſimpliciter non conceſſerit Patri uſumfructum in bonis adventitijs filij, ſed ita demum, ſi teſtator, qui filio legavit, aut hæredem ipſum inſtituit, aliter non diſpoſuerit. & hoc ſummo jure introductum eſt ideo, quòd quilibet ſit moderator & arbiter rerum ſuarum. Quare ſicut teſtator potuit non relinquere, non legare; ita multò magis reſtrictivè relinquere potuit. Veluti ſi filiofam, ſpecialiter favit quem diligit, Patrem verò tanquam inimicum odit. Aut ſi pleniſſimè filio proſpectum voluit, ut ex fructibus rerum legatarum reditus illi comparentur. Quin imò, non ſolùm poteſt hæc conditio adjici, ne Patri uſus fructus acquiratur, verùm etiam & alius gubernator rerum relictarum poterit à teſtatore conſtitui in favorem filijfam. Cui legatum vel hæreditas relinquitur ſi minor ſit § *ſi verò in authent ut liceat matri & aviæ.* præcipuè ſi Pater, cui alioquin

quin adminiſtratio de lege competit, luxui inſerviat. Vide Peck. *hoc loco.*

REGULA XVIII.

1. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.*

2. Concordat Regula juris civilis *29. ff. quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, & penult. eod. quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto convaleſcere non poteſt.* deſumpta videtur ex *cap. auditis. 29. de elect.*

3. Ratio Regulæ eſt, quia quemadmodum factum legitimè retractari non poteſt, licet caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari; ita vice verſâ, non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.

4 Igitur initium cujúſque actûs, ſive utile ſive inutile ſit inſpiciendũ eſt. Gail. *lib. 2. obſ. 49. n. 6.* & idcircò, ſive in ultimis voluntatibus, ſive in contractibus, ſive judicijs, reſcriptis, electionibus, uſucapionibus, aût poſſeſſionibus verſemur; quod ab initio inutiliter factum eſt, ex poſt facto non convaleſcit. Vide Bronchorſt. *ad l. 29. & penult. ff. h. t.*

REGULA XIX.

1. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet ſe immiſcet.*

2. Eruitur ex *cap. tua. de homicidio.* conſonat. *l. culpa 36. ff. h. t.* coincidítque cum illo Vulgato: falcem in alienam meſſem mittere nemo debet. Et cum illo: tractent fabrilia fabri. aut cum illo: ne ſutor ultra crepidam.

3. Latiſſima hîc eſt culpæ acceptio, pro modo & qualitate ejusdequo agitur, ut ſubinde culpam levem, ſubinde, leviorem interdum & dolo adæquatam contineat. *rei* quóqne appellatio effuſiſſima eſt, utpote, quæ ſe ad omnem adminiſtrationem, ſententiam, controverſiam, ad omne judicium, factum, patrimonium, jus ac rem alrerius extendit.

4. Itaque rei ad ſe non pertinenti immiſcet ſe. 1. Qui rem alienam invadit, vel poſſeſſionem vacantem propriâ authoritate occupat. 2. Qui invito & prohibente domino aliena negotia adminiſtrat; quia hæc prohibitio domini tollit negotiorum geſtorum actionem, in his quæ poſt prohibitionẽ geruntur: adeóq; ſi quid poſtea in rem alienam

 im-

impendat & repetere velit; non auditur, & tunc verum eſt, quod dicit Regula utriuſque juris: *quod quis ex culpa ſua damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.* præterquam ſi quis ſumptum fecit, ut quem invitum è domo ruinam minitante extraheret. Si incarceratum redemit reluctantem, ſi ægrum perire volentem arte medica juvit. *cap. ipſa 23. q. 4.* Panormit. *conſil. 91.* non enim eſt audiendus perire feſtinans *l. non tantùm ff. de appellat.* 3. Immiſcere ſe dicitur rei ad ſe non pertinenti, qui ſe ingerit juriſdictioni alterius, ideóque nuncius, executor, ſeu apparitor, ſi in alieno territorio quidquam faciat, ejus loci judice non conſentiente; eſt in culpa, & in carcerem conjici poteſt. Peck. *de jure ſiſtendi. cap. 22. per tot.* 4. Qui artem quam profitetur ignorat. Unde ſi medicam vel aliam artem exercens per imperitiam peccavit, ſícque mortem, vel damnum alteri cauſaverit, impunè non feret. Gail. *2. obſ. 111. n. 25. & ſeqq.* non aliter, quàm obſtetrix, judex, aſſeſſor, & tutor ex ignorantia tenebitur.

REGULA XX.

1. *Nullus pluribus uti defenſionibus probibetur.*

2. Similis extat juris civilis Regula in *l. nemo. 43. ff. h. t. nemo ex his, qui negant ſe debere, prohibetur etiam aliâ defenſione uti, niſi lex impediat.*

3. Unde Ulpianus tradit, quòd reus judicio pulſatus pluribus etiam diverſis exceptionibus contrà actorem ſe tueri poſſit. Quin imò poteſt reus objicere exceptiones aliquo modo contrarias, puta; ſi dicat: rem quam petis præſcripſi, quod niſi probetur; dico meam eſſe ex privilegio Cæſaris. *cap. auditis. de præſcript.* Quare reus ſi dubitet de intentione actoris, ita excipere poterit, ut neget ſe debere, & ſi actor probet eum eſſe debitorem, dicat ſe pactum iniviſſe de non petendo. *l. ſi quid 9. verſ. nam ſi. C. de except.* hinc ſequitur reum qui excipit de intentione actoris non confiteri. *l. non utique 9. ff. de exception.* Everh. Bronchorſt. *in commentario ad R. j. antiqui. ad l. 43.*

4. Nota tamen cum Caniſio *hic*, quòd ad probandas exceptiones contrarias *ſimul*, reus minimè admitti debeat (quia, hoc impoſſibile foret) ſed ſucceſſivè, qua in re inquit Peck. eos boni viri officio uti convenit, ne defenſiones hæ ad ludificandos mortales, negotiáque malo more & doloſè procraſtinanda, quàm ad tuendam innocentiam inventæ videantur, unde idem Peck. *hic* vult, contrarias iſtas exceptiones non copulativè, ſed alternativè & conditionaliter eſſe proponendas, ut nego me pecuniam accepiſſe, aut ſi conſtiterit; dico me ſolviſſe.

5. Fallit

5. Fallit Regula ſi lex impediat proponi plures exceptiones in pænam nempe mendacij. Sic qui negat proprium chirographum, convictus, in duplum condemnatur, nec auditur, ſi exceptionem novam, puta ſolutionis vel aliam proponere velit. *Authent. contra C. de non numerata pecun.* & qui negat ſe eſſe poſſeſſorem, privatur poſſeſſionis commodo, & transfertur rei petitæ poſſeſſio in actorem. *l. ult. ff. de rei vindic.* vide Bronchorſt. *loc. cit.*

6. Dictum in Regula: *pluribus defenſionibus.* Diverſum enim obtinet in actore, cui unam tantùm actionem unius rei nomine intentare licet, in qua & ad finem uſque perſiſtere debet. *Auth. qui ſemel C. quomodo & quando judex, &c.* cujus diverſitatis ratio hæc eſt, quòd in actoris poteſtate ſit, quando & quâ actione experiri velit, & ante jus ſuum diligenter explorare poſſit, quod non æque in reo eſt, qui ſæpe imparatus ad judicium provocatur, unde benigniùs cum reo, quàm cum actore agitur. vide *Reg. XI. cum ſunt partium, &c.* Unde quando *in l. ubi repugnant: ff. de R. J.* dicitur, quòd allegans contraria non ſit audiendus, intelligi debet de actore non de reo, quia lex favore liberationis, quæ in jure plurimi fit reo indulſit, ut quovis modo ſe defendere queat, præcipuè, cùm natura oſtendat, irruentem hoſtem quovis telo repelli poſſe.

REGULA XXI.

1. *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.*

2. Deſumitur ex *l. ſicut. C. de action. & obligat.* ex *cap. nulli 8. de electione in 6.* ex *cap. per tuas 10. de probat.*

3. Hæc Regula longè latéque patet, multáque alia gignit axiomata ut: quòd contrà factum proprium nemo venire poſſit. Quòd mutare conſilium quis non poſſit in alterius detrimentum, &c.

4. Variè autem attemperatur, in primis enim locum non habet, ubi utriúsque partis conſenſu à placito diſceſſum eſt, excepto Matrimonio, quod legitimè contractum, eſt ab homine indiſſolubile. Dein; ceſſat in contractibus innominatis, in quibus ante impletionem, pœnitentia etiam unius admittitur per *text. in l. pecuniam. 5. ff. de condict. cauſ. datá*, eò quòd horũ uſus in cõmercijs hominum non tam frequens & neceſſarius ſit, quàm contractuum nominatorum in quibus pœnitentiæ alterius locus non eſt, exceptis tamen rursùs, depoſito, mandato, & ſocietate, in quibus, licèt contractus nominati ſint, equidem re integra, id eſt, antequam alterius intereſſe cœperit, pœnitentia admittitur. per *text. & ll.* apud Canis. *hic.*

 5. Lo-

5. Locum quóque non habet in ſponſalibus, dum alter ex-vel etiam ſinè-cauſa, nullatenus conſentire vult in matrimonium, cùm coactæ nuptiæ ſoleant habere difficiles exitus, habet quidem Eccleſia poteſtatem abſolutè aliquem cogendi per cenſuras. cap. *ex litteris 10. de ſponſal & matri.* cùm ex juſtitia obligetur reus ſponſalia adimplere, niſi perfectiora meditetur. Non ſolet autem judex uti niſi moderatâ coactione ne difficilior ſuccedat eventus. Unde monebit potiùs, quàm coget. *cap. requiſivit. 17. tit. cit.* ut pejora vitentur: etiamſi juramentum intervenerit, quod non facit ceſſare coactionis periculum, maluerunt enim canones minus malum tolerare ad evitandum majus. Zoës. *ad d. tit. n. 18.*

6. Neque Regula obtinet in ultimis voluntatibus; quia hæ ambulatoriæ ſunt ad uſque ſupremum vitæ exitum, adeò, ut teſtator ſibi legem imponere non poſſit, ne à priori voluntate ſibi non liceat recedere. *l. ſi quis 22. in princi. ff. de legat.*

7. Illud etiam ſingulari jure receptum eſt in hærede *ſuo*, ut is recuſationem hæreditatis paternæ revocare poſſit intrà triennium, dummodo res hæreditariæ alienatæ non fuerint. *l. fin. C. de repud. vel abſtin. hæred.* hîc Nota, quòd is dicatur *hæres ſuus*, qui tempore mortis, teſtatoris, eſt in ejus poteſtate, & præterea eſt ei gradu proximus. vide Hoppium, *ad §. 2. inſtit. de hæred. qualit. & differentia.*

8. Poſtremò; locum non habet in judice, qui & ſententiam ſuam interlocutoriam: (non verò finalem) revocare poteſt, cum per interlocutoriam non deſinat eſſe judex, & quia hæc tanta maturitate & deliberatione ferri non ſolet, ſicut finalis.

REGULA XXII.

1. *Non debet quis alterius odio prægravari.*

2. Concordat Reg. juris civilis. *in l. 74. ff. h. t. non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, & in l. 155. eod. factum cuique ſuum, non adverſario nocere debet*, exempla hujus Regulæ require *in cap. unico de injur. in 6. in cap. nobis 27. in c. ſicut 33 de ſimonia. in cap. ſi compromiſſarius, 37. §. porro, de elect. in 6.* & hujus regulæ æquitate nititur totus *tit. C. ne uxor pro marito. cum tit. ſeq.*

3. Peck. & alij ferè confundunt hanc Regulam cum ſequente quâ deciditur neminem eſſe afficiendum pænâ pro delicto alterius, ſed haud rectè; quia non eſt veroſimile Pontificem Bonifacium VIII. utramque Regulam immediatè ad idem retuliſſe. Quare dicendum cum Barboſa *in collect. hic n. 2.* in hac Regula non tractari de pæna alicui non inferenda pro delicto alterius, de quo in Regula ſeq. ſed

magis

magìs quòd nullus damnum pati debeat ex pacto, contractu, vel odio alterius in ſe conſiderato.

REGULA XXIII.

I. *Sine culpa niſi ſubſit cauſa non eſt aliquis puniendus.*

2. Colligitur ex *l. ſi putator. ff. ad l. Aquiliam, & ex cap. cognoſcentes, de conſtit. ex cap. eum voluntate. de ſent. excom.*

3. Ratio Regulæ eſt, quia ubi non adeſt culpa propria ibi ceſſat conſideratio & menſura ſupplicij, niſi tamen ſubſit cauſa. Siquidem neceſſitas boni publici poteſt eſſe juſta cauſa ut pæna innocentes comprehendat, quatenus in illis & delinquens condignè punitur & medicinæ ratio conſervatur. Sic contingit interdum inter delinquentes & innocentes eam eſſe conexionem, ut hi cenſeantur velut pars & res delinquentium, ut in filijs reſpectu patris, *l. cum ſcimus.* ibi: *pars quodammodo. C. de Agricolis.* Subditis reſpectu ſuperioris, in quibus interdum veluti in partibus ſuis Pater & Dominus delinquentes condignè puniuntur. *arg. cap. ſi ſententia. 16. De ſent. excom.* equidem pæna ſpirituali nullus innocens pro delicto alterius puniri debet. Nam cum hæc pæna animam afficiat, quo ad illam innocens non poteſt conſiderari ut res & pars delinquentis, & rurſus non ſervatur medicinæ ratio, imò offenditur, dum pro remedio boni temporalis fieret privatio in bono ſpirituali quod eſt dignius. *cap. ſolitæ. de maj. & obed.* & in pæna excommunicationis probat *text. in C. non imputatur. 1. q. 4. & in c. 1. cauſ. 24. q. 3. & in cap. ſi ſententia. De ſent. ex. com. & tradit D. Thom. 2. 2. q. 108. art. fin. Covar. lib. 2. variar. cap. 8. num. 1.*

4. Oppones, Heli ſummus Sacerdos propter peccata filiorum ſuorum dormientium cum mulieribus quæ obſervabant oſtium tabernaculi punitus eſt à domino, cecidítque à ſella retrorſum & fractis cervicibus exſpiravit. *capite 1. & 2. lib. 1. Regum. relat. in c ſicut hi Diſt. 47.* Sic & Cham peccante filius ejus maledicitur. *Confirmatur:* ex illo quod Dominus dixit ad Moyſen: *Ego Dominus Zelotes viſitans peccata parentum in filios uſque in tertiam & quartam generationem. text. relat. in c. 1. cauſ. 24. q. 3.* Ad hæc: filij presbyterorum à ſacris ordinibus rejiciuntur. *tot. tit. de filijs presby.*

5. ℞. Quoniam, qui ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior ex Apoſtolo, ideo licèt Heli in ſe bonus exiſteret, quia tamen filiorum exceſſus non reprehendit, & in ſe & in ipſis divinæ animadverſionis vindictam excepit.

Pro

Pro majori evidentia hujus Regulæ & ſolutione Argumentorum quæ objici poſſent, obſervandum, quòd duplex ſit pænarum genus, alterum quod in præſenti vita infertur, alterum quod poſt mortem infligitur. De priori in propatulo eſt, quòd ad alios ſæpè extendatur ſinè præjudicio divinæ juſtitiæ, quia illa quæ vulgò appellantur mala ut ſunt paupertas, ſervitus, morbus, exilium, mors; adiaphora ſunt: hoc eſt nec bona nec mala, ſed talia ſunt qualis eſt qui ea patitur; & cùm prodeſſe hæc poſſint animarum ſaluti; nihil injuſtè agit DEUS, dum ea innocentibus immittit, ſed materiam & occaſionem præbet exercendæ virtutis, & quamvis propriè non ſint dicendæ pænæ, quatenus ab inſontibus tolerantur, cùm omnis pæna ſi juſta eſt, peccati pæna ſit, illorum tamen comparatione pænæ ſunt, ob quorum peccata infliguntur. Quare & rectè dixit DEUS ſe viſitaturum peccata parentum in filios uſque in tertiam & quartam generationem, quia ad tantum ferè tempus vivebant olim homines ut quartam à ſe viderent progeniem, quâ adverſa patiente ipſi non poterant non cruciari. Neque mors filiorum aut ſubditorum quæ nobis fortaſsè mala videtur omnino mala dicenda eſt, cùm juſtus ſemper bene moriatur. Dein mala temporalia interdum habent rationem pœnæ, & ſic nemo luit peccatum aut culpam alterius, interdum rationem médicinæ præſervativæ, & ſic ab innocentibus tolerantur, ut à peccatis cohibeantur. Ita docet D. Thomas. *1. 2. q. 87. art. 1.* Cæterùm in altera vita & quòad animam nullus ſinè culpa punitur propriâ. Quod de filijs presbyterorum adducitur ideo ſtatutum, quia juſte timetur in illis paternæ incontinentiæ ſequela, aut ſaltem quia in filijs hujusmodi quædam ex paterna turpitudine redolet indecentia.

REGULA XXIV.

1. *Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.*

2. Conſpirat juris civilis Regula *in l. 167. §. 1. ff. h. t.* quæ ſic ſonat: *Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet*, & é contra inquit alia juris civilis Regula: *non poteſt dolo carere qui imperio magiſtratûs non paruit. l. non poteſt.* eod. naſcuntur præterea ex hac Regula variæ & illuſtres aliquot præceptiones ſeu theoremata admodum in foro frequentata, ut: quòd juſtè poſſideat, qui authore judice poſſidet. vide Gail. *2. obſerv. 75. n. 5.* & quòd actus factus in præſentia judicis, doli, fraudis & metûs præſumptionem excludat. Ratio eſt, quia præſumitur pro judice quòd ſit vir bonus,

&

& quòd quæcunque facit, ex juſta cauſa faciat: Maximè quia ad illud officium ut plurimùm eliguntur literati & honeſti viri. Equidem nonnulli notantur caſus, quibus pro judice non præſumitur, & in quibus ægrè excuſatur is, qui prudens ſciénsque ei obediret, veluti ſi error expreſſus ſit in ſententia: *cap. cum inter. de re judic.* Si judex ex abrupto parte non auditâ procedat. Panormit. *in cap. Quinta vallis. de jurejur.* Si limites ſuæ jurisdictionis manifeſtè egrediatur. *cap. ſignificavit. de appellat.* aut ſi ſit idiota: quia non eſt veriſimile illum obſervaturum juris ſolemnitates, quas ignorat. Aretin. *conſil. 69.* videatur Menochius *lib. 2. præſumpt. 67. & ſeqq.* ubi multa ad reſtrictionem hujus regulæ pertinentia eleganter explicat. Unde Pontifex non dicit, quòd reapſe in dolo vel culpa non ſit, qui quid mandato judicis facit; ſed quòd non videatur eſſe, ſcil. regulariter quódque hæc juris præſumptio pro veritate habeatur donec ab adverſario oppoſitum probetur.

3. Atque ampliatur hæc Regula, ut non ſolùm locum habeat in eo, qui quid mandato, ſed etiam qui rogatu Principis fecit. Principum enim preces pro juſſu ſunt, & mandati vices tenent. Gloſſa *in l. 1. ff. quod juſſu.* juxta illud: *eſt rogare Ducum ſpecies violenta jubendi.* Similiter obtinet Regula in filio, ſervo, vel ſubdito, qui mandato patris domini aut ſuperioris aliquid facit. Sed

4. OPPONES 1. Si Eccleſia etiam ſub interminatione Anathematis præcipiat mulieri, ut pro marito agnoſcat eum, quem ob impedimentum ei ſoli notum, habere non poteſt, non tenetur judicio parere, & ſi pareret, peccaret. argum. *cap. inquiſitioni tuæ, de ſent. excom.* 2dò. Servi, qui metu juſſúque dominorum violentiam commiſerunt, ſecundùm legem Juliam, ad metalla damnantur. *l. ſervos. C. ad leg. Juliam. de vi.* & cujuscúnque mandato facta ſit injuria, tam is, qui fecit, quàm qui mandavit, tenetur. ergò.

5. Ad primum ℞. quia quidquid fit contrà conſcientiam, ædificat ad gehennam. *cap. omnis. 28. q. 1.* Ideo mulier etiam per excommunicationem compulſa, nequit adhærere viro, quem ſcit ſuum eſſe non poſſe, quare potiùs terrificum fulmen iſtud ſuſtinere debet, quàm contrà conſcientiam venire. Unde ſimiliter ad ſecundum ℞. quòd in his, quæ Divinæ majeſtati, propriæque ſaluti adverſantur, nemo alijs obedire debeat. *Can. quæ contra. Diſt. 8.* quanquam aliqua interdum habeatur ratio, ſaltem ut minore pænâ feriatur ſervus, qui juſſui Domini obtemperavit, quem offendere metuebat. Confer Gail. *1. PP. 4. n. 12. & ſeqq.*

 REGU-

REGULA XXV.

1. *Mora ſua cuilibet nociva.*

2. Concinit *l. in condemnatione. 173. §. unicuique ff. h. t.* Obſervandum autem, moram de qua hîc importare tarditatem, quæ cum culpa conjuncta, & alteri damnoſa eſt. Unde Peck. *hîc n. 2.* definit moram, quòd ſit injuſta dandi faciendíve, ejus quod dari fieríve oportet, dilatio, ex quo conſequens eſt, quòd mora noceat moroſo, ita quidem, ut illa faciat. *1mò.* Rem vel intereſſe æſtimari judicis officio, prout erat tempore moræ, vel ſicut cœpit eſſe perſeverante mora· *2dò* Ita ut ſi homo vel equus promiſſus mortuus fuerit poſt moram; debitor non liberetur (etiamſi aliàs interitu ſpeciei ante moram debitor liberetur) nam nihilominus homo vel equus promiſſus vivere fingitur & proin peti poteſt, atque in æſtimationem fit condemnatio: *l. ſi ſervum. §. ſequitur. ff. de V.O. 3tiò.* Mora calumniæ præſumptionem inducit in illo, qui intrà terminum accuſationi proſequendæ, judicis arbitratu conſtitutum non accuſat, vel non adeſt. *l qui crimen. C. de accuſat. 4tò* Mora facit, quòd, ſi ex illa grave præjudicium immineret; executio permittatur, non obſtante appellatione. *l. fin. ff. de appellat. recipiend. vel non. 5tò.* Mora tantoperè nocet moroſo debitori, ut is non tantùm omne intereſſe, & recompenſationem damni; ſed etiam lucrum præſtare teneatur creditori ſuo, ſi is habitâ in tempore pecuniâ aut re ſuâ certò lucratus fuiſſet. *l. 3 §. fin. & l. ſocium qui in eum. ff. pro ſocio.* Aliàs incerti lucri nulla habetur ratio. *l. quemadmodum. §. idemque. ff. ad l. Aquil. 6tò* Ex mora provenit, quòd contrà moroſum in omnibus fiat ſiniſtra interpretatio. *l. locum §. condemnatio. ff. de tabul. exhib. 7mò* Quòd poſt litis conteſtationem & tarditatem culpoſam, præcludatur via, ne exceptiones dilatoriæ proferri poſſint. *l. exceptionem C. de Probat.* Confer. Gail. *1. obſerv. 74. n. 2. & ſeqq. 8vò* Mora perpetuat actiones. Gail. de Arreſtis. *c. 13. n. 10.* Hîc ſpecialiter Nota, quòd ſi frater inſtitutus hæres in magna parte paternæ ſubſtantiæ, ſit in mora reſtituendi fratri ſuo illud, quod ei eſt relictum pro legitima; condemnetur propter moram ad aliam tertiam partem quantitatis relictæ. *l. ſi. quis in ſuo. C. de inofficioſ. teſtam.* Sicut & hæres intrà annum à die admonitionis judicis computandum, non implens voluntatem teſtatoris, privatur hæreditate, ſolâ legitimâ exceptâ, *Auth. hoc amplius. C. de fideicom.*

3. Equidem Regula noſtra æquitatis ſale condienda eſt, & cum aliquo temperamento temporis intelligenda, ut non teneatur illicò

cùm

cum ſacco paratus venire debitor (niſi fortè in nundinis emat) nam conventiones humanæ non ad punctum & unguem, ſed civili modo judicis arbitratu determinando accipiendæ ſunt. Quamobrèm interpellatione, denunciatione ſeu admonitione & quidem iteratâ intrà vel extra judicium legitimè factâ opus eſt. Aliàs, ſi nulla præcedente monitione creditor debitorem ſuum ad judicem coëgerit; in expenſas temerè & frivolè cauſatas, condemnabitur. Intellige hæc de interpellatione & mora, quando dies obligationi non fuit adjectus. Nam quando dies appoſitus eſt, & ſolutioni faciendæ in contractu deſignatus; ex adventu atque lapſu illius, ſubitò mora contrahitur abſque ulla alia interpellatione; Dies enim interpellat pro creditore, cùm jam certus ſit debitor, quòd ſolvere debeat.

4. Verùm in debito conditionali diverſum obtinet, ſiquidem in illo conditionis eventus non interpellat, nec in mora conſtituit: quia ante non erat nata actio, proinde non eſſet æquum, ut quo die obligatio crearur, eodem quispiam in mora conſtituatur. Bartol. *ad* l. *quoties. ff. de V. O.* Sicut nec tunc quóque committitur mora, cùm dies vel demonſtrationis, vel commodioris præſtationis, vel memoriæ revocandæ gratiâ adjectus, vel quando omninò incertus eſt. *DD. & LL.* apud Peck. quem prolixius hac in re videre non pigebit.

REGULA XXVI.

1. *Ea quæ fiunt à judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.*

2. Ijsdem penè verbis ponitur Regula *in l. 170. ff. h. t. factum à judice quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt.* Ratio; quia officium judicis fundatur in juriſdictione, ſeu poteſtate de publico introducta, à qua validitas geſtorum pendet. *cap. forus. Verſ. judex. de V. O.* Unde judex in his, quæ ad officium ejus non ſpectant, privatus cenſetur. *cap. conquerente. de reſtit. ſpoliat.* Proinde taliter ab illo geſta propter defectum publicæ poteſtatis nullius ſunt momenti.

3. Unde reſultat *Primò* Regulam hanc procedere in omnibus actibus, qui quacunque viâ non pertinent ad judicis officium, ſive quia extra territorium jus dicit. *cap. ult de conſtit. in 6.* ſive quia eſt omninò incompetens; *cap. at ſi clerici, in prin. de judic.* vel tandem licèt ſit competens; tamen ſinè juris ordine procedit. *Secundò* Reſultat & procedere in ſummis Principibus atque Pontificibus ſuperiorem non recognoſcentibus, quia non poteſt Pontifex ſaltem directè exercere juriſdictionem in clericum ratione bonorum temporalium non ſubjecto-

ctorum ſuæ juriſdictioni, & è contra Imperator cùm ſit filius, ac protector, non præſul Eccleſiæ; diſpoſitioni perſonarum aut rerum ad Eccleſiam pertinentium ſe immiſcere non poreſt. *can. verum. can. Imperator. Diſt. 96.* quod poſtremum tamen intelligendum videtur, quo ad illa loca, in quibus bona Eccleſiaſtica totaliter à jurisdictione Principis ſæcularis ſunt exempta, prout de jure communi exempta ſunt, non verò quo ad loca illa, ubi manent ſub jurisdictione Laica, ſicut in Regno Bohemiæ in quo etiam ad alienationem bonorum fundationis requiritur conſenſus Regius, ut aliàs facta non valeat. 𝔏. 𝔒. *A. 25.* Idem obtinet hîc in Moravia, ubi Prælati citra confirmationem Imperatoris ſupremi Domini noſtri ſe adminiſtrationi bonorum temporalium non ingerunt.

4. DICES. Ad officium judicis non ſpectat extra territorium jus dicere, & tamen Epiſcopus & legatus ſummi Pontificis extra territorium ſuum beneficia conferunt. Judex quóque extra limites ſuos emancipiat, adoptat, manumittit. *l. 2. de officio Proconſ. l. emancipare. de adoption.* ergò. Adhæc: multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. *l. relegatorum. § ad tempus. ff. de interdictis & relegatis.*

5. ℟. Ex communi ſententia, quòd ea, quæ voluntariæ ſunt jurisdictionis, ut emancipare, adoptare, eligere, conferre beneficia, manumittere, &c. ubique locorum & extra territorium fieri poſſint. Gail. *2. obſerv. 39. n. 18.* Zoëſius. *ad tit. de præbend. & dignit. n. 16.* Ratio: quòd in his nullum verſetur præjudicium judicis, domini, vel ſubditorum territorij, in quo ea fiunt, quandoquidem nullus judicialis ſtrepitus, aut jurisdictio contentioſa exerceatur, nemo citetur, nemo in jus trahatur: ſed omnia favore quodam conſtent, & vel liberationem, vel benevolentiam vel pietatem ſapiant. Porrò tunc verũ eſt, quòd multa fieri prohibita, facta nihilomínus teneant; quando ulterius id quod factum eſt, lex expreſſè ex cauſa confirmat, aut ſaltem non irritat. vide Peck. *De jure ſiſtendi. c. 17. n. 5. & ſeqq.*

REGULA XXVII.

1. *Scienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus.*

2. Regula juris civilis ſic habet. *in l. 145. ff. h. t. nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt.* Unde Regulæ noſtræ locus non eſt, niſi ſcientia & conſenſus conjungantur. Nam quandoque ſcienti injuria fit, ſed non conſentienti, quia reclamat, vel non audet contradicere adverſario, propter metum aut verecundiam. *l. penult. de furt.* Quandóque fit conſentienti; ſed non ſcienti, id eſt verè intelligenti, veluti pupillo, furioſo, &c.

3. OP-

3. OPPONES *1mò.* Raptor virginis capite punitur, etiamſi virgo ante ſciat & conſentiat. *l. unicâ. de raptu virgin. l. raptores. C. de Epiſcop. & Cleric.* *2dò.* Si monialis, quæ ultrò & ſponte habitum deſeruit, ac propriâ authoritate à monaſterio receſſit, petat rurſum recipi, & conſorores nolint eam recipere; eo ipſo intelliguntur eam ſpoliâſſe, & ideo illa agere poteſt. *poſſeſſorio recuperandæ*, ut recipiatur & alatur, quantumvis objecerint ei moniales, quòd eam non ſpoliaverint aut injuriâ affecerint, cùm ſciens prudénsque cœnobium egreſſa ſit *Can. pervenit.* & ibi Gloſſa. *cauſ. 27. q. 1. Can. quidam monachi. c. placuit. 16. q. 1.* *Tertiò.* Si mulier viginti quinque annis major, volens ſciénsque adeat damnoſam hæreditatem, poteſt nihilominus tanquam injuriam & dolum paſſa reſtitui. *l. ſi mulier. §. ſi metu. ff. quod metûs cauſa.*

4. Ad 1mum ℟. quòd voluntas raptæ non ſit libera & ordinata. ſed doloſa perſuaſione nequiſſimi raptoris, ſit verè aut præſumptivè extorta. *Arg. l. ſi quis ſervo. C. de furtis*, perſuaſio autem doloſa plus eſt, quàm violenta coactio. *l. 1. §. perſuadere. ff. de ſervo corrupto.* Adde, quòd ex raptu mulieris etiam conſentientis plurima mala ſequi ſoleant, velutì cædes & homicidia, dum parentes aut conſanguinei mulieris raptæ (qui gravi injuria afficiuntur) ad arma contra raptores convolant, ut proin meritò conſenſus mulieris raptæ non conſideretur. Ad *2dum* ℟. cum Dominico Geminiano. *Conſil. 290.* & Speculatore *ad tit. de action. verſ. item excipitur.* Quod ubi ex renunciatione & conſenſu, renuncians aut conſentiens contraheret peccatum in quo continuò manere deberet, ut certè hîc contraheret monialis profeſſa, privata authoritate monaſticam vitam deſerens; tunc favore animæ Regula noſtra locum non habeat. Ad *3tium.* ℟. cum Peck. *hic n. 23.* Quòd ibi voluntas mulieris hæreditatem adeuntis coacta fuerit, non libera Quamvis autem ſecundùm rigorem juris voluntas coacta ſit voluntas, propterea quòd non reſiſtat, qui voluit, ſed à metu ſuperatus, & tacens paruit, æquitas tamen ſuccurrit metum paſſo, ut reſtituatur, ſaltem beneficio clauſulæ generalis edicti prætorij: *Si qua mihi juſta cauſa videbitur.* Confer. Gail. *2. obſerv. 93. n. 4. & 5.*

5. Nec porrò obſtat *text. in cap. contingit. 39. de ſent. ex com.* ubi is, qui ſcientem & conſentientem clericum percuſſit, nihilominus excommunicatur, tanquam manus iujurioſas clerico intulerit. Nam clericum percutiens non tam ipſi clerico, quàm Ordini clericali injuriam infert, cujus hoc privilegium eſt, & cui clericus renuntiare non poteſt. Felin. *in d. cap. contingit.* Quemadmodum nec poſſet quis conſenti-

ſentire, ut manus ſibi per injuriam amputaretur, quia nemo eſt Dominus ſuorum membrorum; & non tam noſtri ſumus, quàm reipublicæ. *l. liber homo ff. ad l. Aquil.*

REGULA XXVIII.

1. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ſunt in conſequentiam trahenda.*

2. Sic & Paulus J.C. ait: *quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia l. quod contra ff. h. t.* Ratio Regulæ eſt, quòd omnis interpretatio ſic facienda ſit, ut quantùm fieri poteſt, nulli ſit oneroſa, hoc autem commodiùs fieri non poterit, quàm ſi omnia ad jus commune reducantur. Nam id minimè oneroſum naturaliter nobis videtur, quod cum multis commune tenemus, ut & dulce reputetur habere ſocium in pæna.

3. Pro majori evidentia obſervandum, quòd ea, quæ extra jus comũne poſita ſunt, vel ſint *præter jus*, vel *contra jus*, vel *exorbitent à jure. Præter jus* ſunt ea, quæ in ſpecie à jure communi vel lege non ſunt definita. Non enim omnia poſſunt ſigillatim legibus comprehendi, partim quia humanarum actionum vis & natura non ſemper eodem modo ſe habet, ſed eſt varia ac mutabilis, partim quia nemo tanto judicio præditus eſſe poteſt, ut omnia quæ poſſent accidere queat prævidere & quaſi divinare, ideóque in his, quæ legibus deciſa non ſunt, judex ex ijs quæ deciſa ſunt, ſtatuet, & de ſimilibus ad ſimilia procedet. *l. non poſſunt. ff. de legibus. Contra jus* commune ſunt ea, quæ vim & effectum ejus in univerſum tollunt, aut ſuſpendunt. *Exorbitant* verò ea, quæ non ſunt omninò contra, nec præter jus, nec abrogant jus in totum, ſed in aliquo tantùm ei derogant: quo modo diſpenſationes non fiunt contrà jus, nec præter jus, ſed duntaxat limitant atque reſtringunt jus commune, ut illo caſu non procedat, licèt in alijs ſalvum maneat. Unde quæ nos hîc exorbitantia vocamus, alij limitatoria appellant, ac proinde exorbitare dicuntur, quæ ab orbita, id eſt via communi tantiſper deflectunt. Can. *hoc loco.*

4. Ut Viſcera hujus Regulæ rimemur, noveris, ex ejuſdem æquitate profectum eſſe, quòd licèt mulieri liberíſque ejus privilegium competat, ut in dote repetenda præferantur creditoribus etiam anteriorem hypothecam habentibus, non tamen idem communicetur alijs hæredibus mulieris per *l. unic. C. de privileg. Dot.* ſi quidem iſthoc privilegium juri communi derogat, quo alioquin is, qui prior eſt tempore, potior eſt jure. *l. potior 11. ff. qui potiores in pignore &c.* ſed iterum per

tranſen-

tranſennam hîc nota, quòd in hoc Marchionatu Moraviæ ſecundùm Ferdinandæum Cridæ proceſſum in 4. Claſſe collocetur mulier per hæc præciſa: Denen Hypothecarijs ſollen in der vierdten Claſs nachfolgen. 1. Eines Weibs Heürath-Guth / wann das ſelbe nicht ohne deme mit der Land-Taffel auff einen Guth verſichert worden.

5. Huc ſpectat, quod à Pomponio J.C. reſponſum eſt *in l. patri. 20. ff. ad l. juliam. de adulterijs. patri* (inquit) *datur jus occidendi adulterum ſimul cum filia, quam in poteſtate habet, atque nemo alius à parentibus id jure faciet: ſed nec filius familias pater.* Cùm enim juri communi adverſum ſit, ut pater filiam aut alium quemlibet privatâ authoritate occidat, certè lex julia quæ facultatem dat patri occidendi adulterum unà cum filia, quam in poteſtate habet; pater qui ipſe filius familias eſt, adeóque in ſacris ſuis filiam non habet, eam facultatem non habet. *d. l. patri*. cùm tamen eadem alioquin ſit ratio juſti doloris in utróque. Verum hîc rurſùm adnotabis, quòd teſte Hoppio *ad tit. inſtit. Quibus modis jus patr. pot. ſolv.* ſecundùm uſum & praxin hodiernam in pleríſque Europæ locis liberi per ſolum matrimonium, aut ſaltem accedente inſuper ſeparatâ œconomia emancipati cenſeantur. Quare ſi juri civili ſtandum foret, hodie filius familias pater, utpote emancipatus per Matrimonium, occidere poſſet cum adultero filiam adulteram. *DICO, ſi juri civili ſtandum foret,* nam ſi id quod æquiùs eſt inſpiciamus, nequidem ipſi patri familias filiam in poteſtate ſua conſtitutam adulteram occidere licet. *per text. in can. ſi quod verius. 33. q. 2.*

6. Quæres: an ea quæ à jure communi exorbitant nunquam quandam admittant ampliationem & conſequentiam? ℞ Admittere interdum. & *primò* quidem quando publica utilitas, aut cauſa favorabilis poſtulat extenſionem. *Secundò*. Dum agitur duntaxat de interpretatione aut declaratione actûs ex loci vicinitate. *Tertio*. Fit extenſio ad acceſſoria, & in his quæ habent neceſſariam connexionem & ſequelam. *Quartò*. Quando diſpoſitio exorbitans aliàs non haberet effectum. *Quintò*. Quando unus caſus ad quem fit extenſio comprehenditur ſub caſû lege expreſſo ex conſveta ſignificatione vocabuli, aut quando duo æquiparantur à lege antiqua. *Sextò*. Quando agitur de excludendis fraudibus, aut quando, niſi fieret extenſio ſequeretur intolerabilis abſurditas: aut quando alter alioquin locupletaretur cum alterius jactura. *Septimò*. Demùm quando unum ſurrogatur loco alterius. *DD. apud Barbos. in collect. hic n. 8.*

RE-

REGULA XXIX.

1. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

2. Deſumitur *ex l. 1. & ult. C. de authorit. præſt. & ex l. per fundum. 11. ff de ſervit. ruſtic. præd.* Et hæc quidem Regula æquitatis plena eſt, néque enim alteri per alterum iniqua conditio inferri, neque id quod noſtrum eſt, ſinè facto noſtro ad alium transferri debet.

3. Pro ſolutione autem multorum quæ objici ſolent, communis ſententiæ diſtingvit inter ea, quæ pertinent tanquam ad ſingulos, vel in ſpeciali, & inter ea, quæ pertinent tanquam ad univerſos, vel in communi, veluti ad collegium, ut in illis tantùm procedat Regula, in his verò ſufficiat major pars. *cap. 1. de ijs quæ fiunt à majori parte capituli.* Ita Dynus & omnes *hîc.*

4. Verùm quia hujus diſtinctionis membra peculiares habent difficultates; videtur melius dicendum, quòd ea, quæ pertinent ad aliquos velut ad ſingulos, de quorum præjudicio principaliter agitur debeant ab omnibus approbari, nec ſufficiat major pars, niſi ex juſta cauſa aliud expreſſum reperiatur. *Dixi: De quorum præjudicio principaliter, &c.* Tum ad excludendos illos de quorum præjudcio ſecundariò agitur. Nam horum approbatio non eſt neceſſaria. *Gloſſ. in cap. quamvis pactum. de pact. in 6.* Navar. *in c. ſi quando. de reſcript. pag. 77.* tum etiam, quia verbum *tangit* de quo hîc; per prius & non per poſterius verificatur tantùm de ijs, quorum detrimentum principaliter vertitur. Dixi inſuper *niſi ex juſta cauſa, &c.* Quia per juſtam cauſam jure induci poteſt, ut major pars etiam in ijs ſufficiat. *cap. 1. de jure patron.* ibi. *plurimorum.* in quo ſpeciale eſt ut in negotio præſentationis, quæ ad ſingulos patronos pertinet, ſufficiat major pars, vel quia aliàs ſequeretur abſurdum aliquod vel iniquitas, quæ vitari debent, vel quia exiguum eſt præjudicium. *arg. l. ſcio ff. de in integrum reſtit.* Vel tandem quia utilitas & bonum publicum maximè urget. *arg. l. lucius. 11. ff. de evictiōn.* Confer. Barboſ. *hic in collectaneis.*

5. Cæterùm Regula hæc ritè intellecta vera eſt. *Primò.* Etiamſi illi, de quorũ præjudicio agitur, eſſent abſentes, nihilominus enim, ſi commodè vocari poſſint & venire velint, vocandi ſunt. *arg. cap. quia propter. De electiōn.* ut conſentiant & ſuffragium ferant. *Secundò.* etiam ſi res communis futura eſſet melior, quia ſocius non poteſt erigere communem parietem altero ſocio invito, etiamſi velit illum fortiorem facere, modo aliàs idoneus ſit & ſufficiens. *l. quod autem. l. parietem. ff. de ſervit. urban. prædior.* Néque depingere poteſt invito ſocio domum communem ut pluris elocetur, Gail. *de pignorib. obſ. 20. n. 7.*

n. 7. Quod tamen intelligendum, non quòd omninò non liceat hoc ei facere, ſed quod ſumptus factos repetere non poſſit. *l. ex duobus 27. ff. de negotijs geſtis.*

6. OPPONES *primò.* Monialibus invitis ſtrictior clauſura imponitur, arctiórque vivendi Regula indici poteſt quàm fuerit uſitata tempore profeſſionis. *cap. 1. de Regularib. in 6.* *Secundò.* Socius invito ſocio poteſt mortuum in locum communem inferre. *l. ſi plures ff. de relig. & ſumptib. fun.* *Tertiò.* Si ſervus plurium velit fieri clericus, ſufficit conſenſus unius Domini *can. nullus Diſt. 54.* Ergò non ſemper ab omnibus approbandum, quòd concernit omnes.

7. Ad 1. ℞ quòd olim diſputatum fuerit inter juris interpretes, utrùm religioſis invitis auſterior vita imponi poſſit, quàm ſint profeſſi; quibuſdam negativam tenentibus per hanc regulam, quia nemo creſcit invitus *c. geſta. Diſt. 74.* & votum debet eſſe liberum, & qui intrat religionem, apud Deum & in conſcientia ſua ſolùm videtur ſe obligare ad ea, quæ tempore profeſſionis ſervabantur. Sed contraria ſententia communiter recepta eſt per clarum textum *in tit. de ſtatu regularium in 6.* éſtque roborata per Concilium Tridentinum. Ratio: quia religioſi non habent proprium velle & nolle, duriórque eſt eorum vita & conditio quam ſervorum. *Cap. Religioſus. de electiòn. in 6. c. multos diſt. 34.* & annus probationis non ideo inductus eſt, ut ingreſſi obligentur ad ea quæ viderunt obſervari, ſed etiam, ut aptos ſe reddant ad quamlibet obſervantiam regularem ſtatui ſuo congruentem, ſciunt enim, aut ſcire debent, ſtatuta ordinis & accidentalem rationem vivendi ſubinde mutari; & ideo profitendo videntur ſe obligare ſaltem tacitè ad reformationem majorémque auſteritatem ſi contingat eam ex cauſa induci. Felin & alij *in c. ſuper eo. de appell. ut.* Nam (ut inquit Innocent.) vel in ingreſſu ducuntur ſpiritu Dei, vel non? primo caſu non poſſunt laudabiles reformationes detrectare, poſteriore verò non ſunt audiendi, tanquam allegantes propriam turpitudinem, nimiáque eorum licentia reprimenda eſt.

8. Ad 2. ℞ Quòd, quando minor pars, vel etiam unus ex ſocijs vult uti re communi ad uſum deſtinatum, Regulæ noſtræ locus non ſit. Felin & alij apud Peck. *hic.* Nam qui ſocium ita re com̃uni uti volentem impedit, improbè facit adverſùs pacta conventa vel naturam rei, & ideo audiri non debet, quia malitijs hominum obviam eundum eſt. Ad 3 ℞ hoc nonnullos tribuere favori religionis, & ordinis clericalis, ſed verius eſt id aliter non intelligi debere, quàm ſi reliquis dominis æſtimatio vel pretium offeratur, ex quibus jam habes aliquot hujus Regulæ limitationes, quibus addi meretur illa, quæ habetur *in*

l. juris gentium §. 28. *in fine ff. de pactis.* Ubi conventio majoris partis creditorum, de quota debiti hæredi remittenda nocet reliquis creditoribus, & Prætor decreto ſuo ſequetur majoris partis voluntatem. Idem eſt ſi debitor velit cedere bonis, niſi creditores concedant inducias & terminos ſolvendi, tunc enim ſtabitur majori parti creditorum ad impediendam flebilem bonorum ceſſionem. Similiter ſi creditores pupilli mittantur in bona ejus; adminiſtratio conceditur illi, quem major pars elegerit. *l. 2. ff. de cura. bon. dand.*

REGULA XXX.

1. *In obſcuris, quod minimum eſt ſequimur.*

2. Verbatim conſonat *l. in obſcuris. 9. ff. h. t.* quod idem explicatius reddit. *l. 34. eod. his verbis. Semper in ſtipulationibus & in cæteris contractibus id ſequimur, quod actum eſt: aut ſi non pateat quid actum eſt, erit conſequens, ut id ſequamur, quod in regione in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergò, ſi neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id quod minimum eſt redigenda ſumma eſt.* Vide Bronchorſt. in commentario ad Regulas juris antiqui.

3. Itáque omnis diſpoſitio, quæ à lege aut homine fieri poteſt ex verbis & mente metienda eſt. Unde ſi mens & verba clara ſunt, átque inter ſe conveniunt, quæſtionem voluntatis non eſſe conſtat. Confer Gail. 2. *obſerv. 97. n. 18.* Sin autem manifeſtè contrarientur, neutrum ſervare oportet. *l. 3. ff. de reb. dub.* Quando verò néque ex eo quod communiter fieri ſolet, néque ex eo quod veriſimile eſt, néque ex more regionis, néque ex ſermonis conſvetudine, néque ex ſuperiore aut inferiore ſcriptura, néque etiam ex cæteris dictis, factis animo aut vita loquentis, quid rei ſit, liquet, res dicitur obſcurà, & tunc quod minimum eſt ſequimur veluti.

4. *Primò.* In teſtamentis, ſive obſcuritas conſiſtat circa quantitatem, ſive circa numerum, ſive circa tempus ſolutionis, vel circa qualitatem rei legatæ. *l. idem Julianus.* §*ſcio ff. de legat 1.* hinc ſi maritus ſleget uxori tantùm, quantùm aliquis hæredum habiturus eſt, hæredes verò diſformes portiones habeant; minima portio conſiderabitur. *l. qui concubinam.* §*cum ita ff de legat. 2.*

5. *Secundò.* In ſententijs judicum & arbitrorum. Nam ſi ſint tres judices, & unus condemnet reum in quindecim, ſecundus in decem, tertius in quinque; in hac obſcuritate prævalebit ſententia de quinque *l. inter pares. ff. de re judic. l. Diem proferre.* §*ſi plures ff. de arbitris.* Ratio ulterior hujus eſt. Quia ſi contingat arbitros diſſentire, ea

ſen-

ſententia prævalere debeat, quam plures dixerint, & ſi omnes diſcordent, minor prævaleat, quòd in eam conſenſerint omnes. *cap. 1. de arbitris in 6.* Zoëſ. ad *hunc tit. decretal. n. 10.*

6. *Tertiò* In pænis. Quia in dubio mitior pæna eligenda eſt. *l. penult. ff. de pænis.* Quare, ſi quis ſimpliciter condemnatus eſt ad pænam capitalem, intelligitur de exilio. Panormit. & alij *in cap. quanto. de jure jur.* nam utráque pæna capitalis eſt, eò quòd eximat caput, id eſt civem de civitate. Caniſ. *hìc.* aut ſi quis condemnatus ſit ad amputationem manûs, intelligitur ſiniſtra amputanda. Salicetus, Caſtren. apud Peck. *hìc.*

7. OPPONES *Primò. per text. in l. etiam. 43. ff. de uſufructu.* Si pars uſusfructûs bonorum legetur, intelligitur in dubio dimidia pars: atqui juxta Regulam noſtram non dimidia, ſed minima pars accipienda eſſet. ℞ Quia pars ex propria ſignificatione ſua, æqualem partem deſignat, mirum non eſt, quòd pro dimidia ſumatur, niſi ubi ſpecialiter certæ partis mentio facta eſt.

8. OPPON. *Secundò.* Legato hominis generaliter relicto, ſcribit Ulpianus, id obſervandum eſſe, ne optimus vel peſſimus accipiatur, ſed mediocris præſtetur. *l. legato. ff. de legat. 1.* ℞. hoc ideo eſſe, ne ſi legatario peſſimus detur, non tam afficiatur commodo, quàm incommodo contra voluntatem defuncti, quam pleniùs interpretari ſolemus. Quis enim legatarius acceptaret ſervum peſſimum fruges conſumere natum? quis contentus foret ſibi obtrudi oves morbidas, vel equos calcitroſos ad nullam rem idoneos?

9. OPPON. *Tertiò* Si quis calicem legaverit, vel (ut Scævola ait) ſignum Dei in æde ſacra fieri præceperit, non quidem ex auro tanquam metallo optimo, neque ex ære tanquam viliori, ſed ex argento velut ex mediocri metallo, hæres legatum præſtare debet. *l. Titiæ. § fin. ff. de auro & argent. legat.* Ergò in obſcuro non minimum, ſed mediocre ſequendum. ℞ ideo Scævolam reſpondiſſe, quòd ſignum Dei ex argento ponendum ſit, quia in æde ſacra, ut indicat textus, ubi ponendum erat, non niſi ex auro & argento fieri ſolebat, adeóque verum manet, argentum illic eſſe minimum. Quo pacto ſi quis calicem leget, argenteus præſtabitur, ſi ex more Regionis vel aureus vel argenteus præſtari ſoleat. Alij arbitrantur pietatis religioníſque gratiâ, & ob dignitatem ſupremi Numinis argenteum deberi, etiamſi conſvetudo communis vilioris materiæ æs in templum admittat.

10. Ad obviandum alijs objectionibus hîc porrò adnotandum, quòd ſi tanta ſit obſcuritas, ut exitum invenire non poſſimus, & nequidem id, quod minimum eſt colligi queat ex mente agentis vel diſ-

 po-

ponentis, tunc corruat actus vel diſpoſitio. Qua ratione ſi quis Sempronio amico leget centum, pluréſque ſint ejus nominis teſtantis amici, ut divinari non poſſit de quo cogitaverit teſtator, cadit legatum. Quid enim hîc facies? ſi dicas ſingulis præſtandum eſſe legatum; gravabitur hæres, quem teſtator in una ſumma onerare voluit. Sin verò dicas diſtributionem inter omnes faciendam eſſe, mens teſtatoris rursùm reclamat, qui unum ſempronium habere voluit. Propter inextricabilem igitur incertitudinem ruet legatum.

REGULA XXXI.

1. *Eum qui certus eſt, ampliùs certiorari non oportet.*

2. Exempla huc accerſe. *ex cap. ſi duobus. 7. de Appellat. ex cap. fin. de locato, & ex L. 1. ff. de action. empti.* Ratio: quia ſicut teſte Ariſtotele natura nihil facit fruſtra, ita nec lex, quæ naturam imitatur. *c. ſi Romanorum. Diſt. 19.* proinde is, qui certus eſt, aut ſcire debet fruſtra certioraretur.

3. Cæterùm, ut quis dicatur certus, requiritur plena & indubitata ſcientia non tantùm ipſius rei, ſed etiam qualitatum & circumſtantiarum ejus. Unde non dicetur ſtatim quis certus eſſe, qui rem reſcivit ex vago quopiam rumore vulgi, non enim tenetur cuilibet aſſerenti credere, ſed lex requirit firmam notitiam, vel ex relatione hominum fide dignorum, aut ex inſpectione inſtrumenti authentici, vel aliunde hauſtam. Alioquin lex dubitantem æquiparat ignoranti. *l. ult. C. de pactis.*

4. Sed nec indiſtinctè Regula hæc capienda eſt, ſed ſenſus eſt iſte: quod quando ſcil: denunciatio, intimatio aut certioratio fit ſolùm ad finem, ut quis ſciat, tunc ſufficiat, quòd quis ſimpliciter ſciat, & ita certus certiorari amplius non debeat. Nam ſi certioratio eſt de ſubſtantia vel forma, prout quando lex mandat denunciari, alias actus ſit nullus; tunc non ſufficit ſcientia, ſed debet fieri denunciatio ei qui certus eſt Vel diſtingui poteſt cum Cardinali Tuſcho apud Barboſam. *in collect. hic n. 2.* Aut intimatio ſeu denunciatio requiritur ad commodum denunciantis, aut ad commodum denunciati; primo caſu; tunc ſi agitur, ut ex denunciatione notificans jus acquirat, vel ut notificatus pænam aut moram incurrat, non ſufficit ſola ſcientia notificati. Sin verò agitur ſolùm, ut notificatus incidat in malam fidem; ſola ſcientia ſufficit. Secundo caſu, nempe ſi denunciatio fiat ad commodum ejus, cui denunciatur; ſemper ſufficit ſola ſcientia.

REGU-

REGULA XXXII.

1. *Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.*

2. Regula juris civilis. *in l. 41. ff. h. t.* ſic conſonat: *non debet actori licere, quod reo non permittitur.* vide Bronchorſt. *ad hanc legem in commentario ad R. J. antiqui.* Cardin. Tuſch. *pract. concl. lit. A. concl. 119.* Auguſt. Barboſ. *in tract. axiom. juris uſu frequent. axiom. 10. n. 7.* Ratio Regulæ eſt, quòd favorabiliores ſint partes ipſius rei, quàm actoris, & ſic non permittendum actori, quod reo non permittitur.

3. Si quis penitiùs omnia inſpexerit, inveniet *hic* duas tractari regulas, unam quidem affirmativam tacitè, alteram, verò negativam expreſsè. Affirmativa hæc eſt; quidquid permittitur actori vel ipſo jure, vel per reſcriptum vel aliàs, reo quóque debet eſſe permiſſum. Hinc ſicut ſi actor ſatisdare non poteſt, ſtabitur ejus juratoriæ cautioni, ita & rei juratoria cautio ſufficit. Hujus rei & elegans extat exemplum. *in cap. 2. de mutuis petition.* Regula veró negativa eſt hæc: quod reo non licet, nec actori licere debet. Quare ſicut reus non poteſt conſtituere procuratorem militem, ita nec actor. *l. invitum. C. de Procuratorib. & L. militem. eod.*

4. DICES. Actor vel creditor poteſt alteri, cedere actionem invito reo debitore, ſed reus alium debitorem invito creditori dare non poteſt. *l. 1. C. de novation.* ergò interdum licet aliquid actori, quod reo non licet. ℞. quando ceſſio fit actionis, præjudicium non infertur debitori, in cujus poteſtate eſt, ſemper ſolvendo liberari, écontra verò magnum fieret præjudicium actori & creditori, ſi invitus alium debitorem, quem utpote inopem, aut moroſum nollet habere, recipere cogeretur. Adde tamen, & debitorem conqueri poſſe de ceſſione ſi facta eſt in potentiorem. Secundùm ea, quæ *in tit. C. de his qui potenti nomine, &c.*

REGULA XXXIII.

1. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.*

2. Ejuſdem ſententiæ eſt Regula juris civilis. *in l. nemo poteſt ff. h. t.* Ratio: quia quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt, ut habet. *R. I. h. t. in 6.*

3. Procedit autem hæc Regula tantùm, ubi ex conſilio alteri jus quæſitum eſt, ut contingit in electione, præſentatione, vel ſententia definitiva judicis, & in alijs per quæ jus acquiritur electo, præſenta-

to,

to, aut ijs pro quibus ſententia fertur: tunc enim, cùm jus alteri quæſitum, nemo poſſit auferre invito, utíque nec conſilium mutare poteſt. Abbas *in cap. bona. n. 11. de poſtulat. Prælat.* & hoc ſatis indigitant illa verba: *in alterius detrimentum.* Quæ propriè reſpiciunt damnum juris quæſiti. Quamobrèm præciſo hujusmodi damno, aut jure, conſilium in meliùs mutare ſapientis eſt. DD. apud Barboſ. *in Collect.. hìc n. 3.*

4. Sic igitur mandati revocatio prohibetur, ſi mandatarij cœperit intereſſe. *l. ſi tibi §. ſicuti. ff. mandati.* Sic qui paſſus eſt amicum negotia ſua gerere, multáque impendere, mutare non poteſt conſilium ſuum in ejus detrimentum, ut prohibitione ſua illum à repetitione expenſarum repellat. *l. fin. C. de negot. geſtis.* Sic deníque licet actori liberum fuerit incipere vel non incipere litem, equidem reo invito poſt litem conteſtatam conſilium ſuum mutare litémque differre aut ei ad tempus renunciare non poteſt. *Auth. qui ſemel. C. quomodo & quando judex, &c.* quia poteſt intereſſe rei, qui nunc mallet ſententiam abſolutoriam exſpectare, ſibíque & poſteris proſpicere: quàm ab hac lite recedento, aliam impoſterùm movendam timere.

5. AMPLIATUR hæc Regula, ut locum habeat etiam in Principe; quoniam Princeps conſilium ſuum in præjudicium ejus cum quo contraxit mutare non poteſt. *cap. 1. de probat.* Decius *conſil. 58.* Nam nihil eſt quod ampliori luce præfulgeat, quam recta fides in Principe, ne unde jura profluunt, inde injuſtitia procedat, & ideo laudatur David qui, cùm regnum promiſiſſet Salomoni, conſilium non mutavit. *1. Reg. capite 3. & c. 18.* é contrà verò vituperatur Saul, qui filiam ſuam in conjugem David promiſerat, & conſilium mutavit.

6. SCISCITABERIS fortè an conſultò conſilijs adjiciatur hæc clauſula: *Salvo ſaniore conſilio*! ℞. ex Cagnolo apud Peck *h. loco.* in conſilijs deciſivis ineptam videri iſthanc clauſulam, in conſilijs autem voluntarijs, quæ quotidie parti litiganti præſtantur, ſalutarem eſſe, quia in his poteſt conſulens ſententiam mutare, dum poſterior viſa eſt ei juſtior.

REGULA XXXIV.

1. *Generi per ſpeciem derogatur.*

2. Genus hoc loco, ut & paſſim apud ICtos non accipitur pro genere Logico, ſed pro eo, quod latiùs patet, & plura ſingularia ſub ſe complectitur, ſive jam ſit ſpecies Logica ut homo, equus, &c. ſive aliud quidpiam ad plura ſe extendens, ut veſtis, triticum, pecunia, man-

mandatum, &c. ſpecies verò dicitur quod ſub hujusmodi genere tanquam individuum, vel ſaltem velut quid limitatum magis, comprehenditur. Itáque de his dicitur, quod generi per ſpeciem derogetur. Sive ut Pomponius. *in l. in toto. ff. h. t.* inquit, *in toto jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.*

3. Ratio Regulæ in hoc conſiſtit: ut genus & ſpecies diverſa concordent. Nam ubicúnque duæ diſpoſitiones ſibi adverſantur, debent ad concordiam reduci, ſalvâ quo ad fieri poteſt utriúsque naturâ & verborum proprietate. *cap. cum tu. 16. de teſtib.* Jam verò genus & ſpecies ad concordiam reducuntur, ſi generi per ſpeciem derogetur. Ratio inquam eſt, quòd nemo præſumatur ſe corrigere, vel ſibi contrariari velle. *l. nam ad ea ff. de condit. & Demonſtrat.* Quemadmodùm generaliter non præſumitur, mutatio niſi probetur. *l. ab ea ff. de probat.* quin potiùs ſi partes conveniunt facere unum, & contrarium interim faciant, præſumuntur potiùs per errorem feciſſe, quàm quòd voluerint ſe corrigere aut ſibi contrariari. *l. quoties §. tantundem. ff. de hæred. inſtituend.* Atqui in propoſito niſi ſpecies derogaret generi, neceſſum foret dicere, quòd diſponens, aut agens ſibi adverſaretur, aut ſe corrigeret, quódque in hac obſcuritate omnia corruerent: itaque ne hoc fiat lex ſuccurrit benigna interpretatione & præſumit eum, qui ſpecialiter aliquid diſpoſuit, voluiſſe idipſum ab effuſa generalitate excipere, quatenus ſic utraque diſpoſitio generalis ſcil: & ſpecialis ſubſiſtat, hæc quidem in caſu ſpeciatim excepto: illa verò in omnibus reliquis.

4. Quòd ſpecies deroget generi verum eſt, ſive ſequatur, ſive præcedat genus, ut reſolvunt Dynus, Decius, & Bartolus apud Barboſ. *hic n. 5.* Unde reſcriptum ſpeciale derogat generali ſive fuerit prius impetratum ſive poſtea *cap. Paſtoralis 1. de reſcriptis.* Quin imò hæc Regula locum habet, non ſolùm in contractibus, ultimis eulogijs pænis, reſcriptis, ſtatutis, legibus, & conſuetudinibus, ſed & alijs fere omnibus, ad quæ Theſes hujusmodi univerſales porrigi atque extendi ſolent.

5. Proinde infertur, quod generalis renunciatio reſtringatur ad contractum ſuper quo interponitur. *l. jubemus. C. ad velleian.* Sicut verba liberationis, ſeu ut vulgus ait quietationis, quantumcúnque generalia reſtringuntur per ea, de quibus in ſpecie actum fuit. *l emptor §. Lucius ff. de pactis.* Hinc tutela legitima, teſtamentariæ poſtponitur, propterea, quòd fides tutoris teſtamentarij in ſpecie â teſtatore probata ſit, tutoris autem legitimi fides generaliter tantùm à lege

pro-

probetur. Hinc quóque ſit, ut, ſi uni penus legata ſit, alteri verò vinum, quod ex pena legata vinum eximatur. *l. 1. ff. de tritico vino, &c.* Sic & ſpecialis conſuetudo certi loci ſervanda eſt, derogátque generali, quæ in toto territorio obſervatur, & præſumptio in ſpecie tollit præſumptionem in genere, ac probationes in ſpecie ſemper prævalent probationi generali.

6. Quanquam hæc ita ſunt, limitatur tamen Regula, ut non procedat in ſpecie ſubjectiva generis; veluti, cùm genus & ſpecies reſpiciunt idem & poſſunt concurrere ſimul: ceſſat enim tunc contradictio & neceſſitas concordiæ & conſequenter ſpecies non derogat generi, ſed gratiâ exempli ad tollendam dubitationem, vel ex ſuperabundanti videtur adjecta. Limitatur etiam quando genus eſt certum determinatum & præciſum. Surdus *conſil, 352.* apud Barboſ. *hic n. 2.* Conſtringitur etiam hæc Regula ex Zaſio apud Peck. *hìc n. 4.* ut locum non habeat, niſi quando ſpecialis & generalis diſpoſitio ſit in una eadémque ſcriptura aut promiſſione, non ſemper ſi in diverſis. Nam tunc ſuccedit Regula, quòd poſteriora deregent prioribus. vide Gail *2. obſerv. 147. ſub. fin.* Quamvis enim non præſumatur, quòd quis in una eadémque ſcriptura ſe corrigere aut ſibi incontinenti contrariari velit; equidem ea præſumptio variationis ex circumſtantijs faciliùs præſumitur in diverſis ſcripturis. Quare ſi teſtator primò dixerit in teſtamento quòd intimo ſuo amico Sempronio leget centum, & poſt intervallum condat codicillum, in quo generaliter dicat ſe cuilibet amicorum legare centum quinquaginta; haud dubiè aſſerendum erit teſtatorem à priori ſpeciali minore legato receſſiſſe, & ſaltem hoc voluiſſe, ut Sempronius cæteris amicis par ſit.

7. DICES: à Cajo & alijs reſponſum eſt, ſemper generalibus ſpecialia ineſſe. *l. ſemper in generalibus ff. h. t.* in toto partem contineri. *l. in toto ff. eod.* Diſpoſitionem loquentem in genere verificari in qualibet ejus ſpecie, & in omni ejus individuo. *l. ſicut ff. quod cujúsque univerſit.* Igitur ſpecies non derogat generi. ℞. quando non eſt facta mentio ſpeciei, exceptionis nempe causâ, tunc generi ſpecies ineſt. ſic homine ſervo legato, ſermonis compendio omnes ſervi debentur. Si autem primò de genere, deinde de ſpecie fiat tractatus, vel écontra; non procedit Regula, quæ habet, quòd ſpecialia generalibus inſint, ſed noſtra; quæ aſſerit, ſpeciem generi derogare.

REGULA XXXV.

1. *Plus ſemper in ſe continet, quod minùs eſt.*

2. Concordat. *l. in eo quod plus 110. ff. h. t.* & ſimilis extat Regula. in

in Decretatibus h. t. ſcil. in toto partem non eſt dubium contineri: ex quibus tandem reſultat tertia, quæ ſimiliter infra *h. t.* cui licet quod eſt plus, utíque licet quod eſt minus.

3. *Plus* autem multipliciter conſiderari poteſt; aliquando in quantitate; ut in majori ſumma, menſura vel pondere reſpectu minoris: aliquando in toto, reſpectu partium: aliquando in genere reſpectu ſpecierum: aliquando tandem in qualitate; ut in obligatione pura vel in diem reſpectu conditionalis. Verùm in hac regula tantum agitur de eo, quod eſt plùs quantitate vel toto, quia in his tantùm & non aliis plus ſemper continet ſub ſe, quod eſt minus. Atque hinc conſtat, regulam hanc procedere ex ipſa rei natura, non verò ex ſola juris interpretatione, ut ſatis indicat tò *continet.*

4. Non OBSTAT quòd genus dicatur plus reſpectu ſpecierum, quæ ſunt minus, & tamen genus in multis caſibus non contineat ſuas ſpecies. Nam advertere debes, quod in hac Regula loquamur de eo duntaxat, quod plus eſt *actu*, ſeu de toto, quod *actu* & *neceſſariò* ſuas continet partes; genus verò comprehendat ſpecies ſuas *habitu* ſeu *potentiâ*, & ideo in hac Regula nomine illius quod plus eſt, non veniat genus, quod deſtructâ unâ ſpecie ſalvatur, prout in Theſibus noſtris Logicalibus Paraphraſtico-Criticis *pag. 19.* oſtenſum.

5. Ex Regula itáque hac ritè intellecta infertur, quòd pater qui neceſſitate famis coactus jure filium diſtrahit, melore jure eum obliget, quod minus eſt. DD. *ad l. 2. C. de patribus qui filios diſtraxer.* Quódque qui in adulteros uſque ad mortem incluſivè ſævire poſſunt, quod plus eſt, multò magìs eos ignominiâ afficere, & verberare poſſint.

6. Porrigitur etiam hæc Regula ad legata & ultimas voluntates. Nam ſi, cùm quis quartam partem bonorum ſuorum legare vellet, ſcribat & leget ſemiſſem ſeu dimidiam partem, vel, cùm quis quinquaginta legare vellet, ſcribat centum: valebit illic legatum in quarta parte, hîc in quinquaginta. quia majori ſummæ ſemper ineſt minor.

7. Sic & in probationibus actibúsque judicialibus res ſe habet. Siquidem ſi unus teſtis dicat me poſſediſſe talem fundum per triginta retrò annos; alius dicat me poſſediſſe per decem annos, quod minùs eſt, probata nihilominus erit poſſeſſio de decem annis. Joan. De Annania. Imola. *ad c. cum oporteat. de accuſat.* Gail. *de pignorib. obſerv. 18. n. 10.* Peck. *hîc n. 4.*

8. OPPONES. Qui plus *re* vel *tempore* petit, nequidem id quod minus eſt, & verè debetur, petere cenſetur. Quin imò pænam in plus petentes conſtitutam incurrit. §. *33. inſtit. de actionib.* Atque ita

qui

qui tempore plus petit, non tantum ſumptus litis reſtituere, ſed etiam inducias quæ Reo adhuc competebant, in duplum concedere cogitur. §. *10. inſtit. de exception.* Qui verò *re*, *causâ*, vel *loco* plus petit, is in triplum tenetur ejus quod ſportularum nomine amplius exactum. *d.* §. *33. & 24. ſuprà eod.* cum refuſione omnis damni, quod eâ occaſione paſſus eſt Reus. *d.* §. *33.*

9. ℞. cùm actor propter plus petitionem legitimè puniatur; certè quamvis minor ſumma verè inſit majori; lex tamen animum & intentionem ejus avaram reſpicit, qui plùs quàm debebatur exigendo, nullâ ratione, ſummâ minóre contentus eſſe voluiſſe videtur, adeóque ne prætextu hujus Regulæ pænas evadat, lex odio ipſius fingit minorem ſum̃am majori non ineſſe. ità benè Peck *hìc n. 6.* Verùm moribus hodiernis pænæ plus petitionis abrogatæ ſunt, prout videre eſt apud *Perez ad Cod. tit. de plus petit. n. fin.* & ſanè negari non poteſt inquit Hoppius *ad ſæpe cit.* §. *33.* in plerisque locis hodie, ſi *re* vel *causâ* plus petitum, & debitor, quod ſe debere novit, aut quod Creditori vult ſolvere, id obtulerit; petitor tamen eo contentus eſſe noluerit, in expenſas ſolummodo eum condemnari: ſi verò *loco* aut *tempore*; Reum ab inſtantia & obſervatione judicij abſolvi: petitorem autem pariter in expenſas tantummodo condemnari, ſalvo ei jure, debitorem denuò loco & tempore debito conveniendi, de qua praxi paſſim teſtantur Doctores quos citat *ibid.* Hoppius.

REGULA XXXVI.

1. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere.*

2. Paulus ICtus *qui dolo* (inquit) *deſierit poſſidere, pro poſſidente damnatur, quia pro poſſeſſione dolus eſt. l. qui dolo. ff. h. t.* & Ulpianus: *parem eſſe conditionem oportet eſſe ejus, qui quid poſſideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo factum eſt, quò minus poſſideret vel haberet. l. parem. ff.* eod. & rurſus: *ſemper qui dolo fecit quo minus haberet, pro eo habendus eſt. ac ſi haberet. l. ad ea* §. *1. ff. eod.* ad quas regulas vide Bronchorſt. *in ſuo commentario ad R. I. antiqui.* & Barboſ. *in tract. axiom. jur. uſu freq. Axiom. 183. n. 5.*

3. Igitur pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere, hoc eſt, qui ſine juſta & legitima aliqua cauſa, ne tanquam poſſeſſor conveniatur, ampliùs poſſidere noluit, aut ſe nolle finxit, & vel invertit, deſtruxit, conſumpſit rem poſſeſſam, aut ut vero domino ipſius rei vel alteri noceret, in alium tranſtulit poſſeſſionem; hoc pacto arbitratus ſe non conventum iri tanquam poſſeſſorem, cùm non poſſideat;

is

is inquam pro poſſeſſore habetur, & contra eum eo modo eâque formâ agitur ac ſi reverâ rem ipſam poſſideret. Nam res ipſa etſi fortè perempta ſit, odio ipſius, fingitur adhuc in rerum natura extare & poſſideri, quamvis in executione ſententiæ officio judicis, quia res præſtari non poteſt, veniat æſtimatio. Confer. Gail. *1. obſerv. 62. n. 6.* aut adverſus Reum juretur in litem. *l. qui reſtituere. ff. de rei vindicat.* ubi incidenter Nota, quòd jurare in litem, ſit per religionem jurisjurandi declarare, quanti æſtimetur tota res controverſa ab actore.

4. Cæterùm dolo deſijſſe poſſidere & conſequenter pro poſſeſſore condemnandum, omnes contendunt illum, qui poſt litem conteſtatam poſſidere deijt. Verùm nec extra dolum is intelligitur, qui in alium tranſtulit poſſeſſionem, aut rem poſſeſſam invertit, poſtquàm ei à domino denunciatum fuerat, quòd talem rem vendicare velit, vel probabilis erat conjectura litis movendæ.

5. AMPLIATUR hæc Regula *1.* ut locum habeat, etiamſi is, qui dolo deſijt poſſidere, antecedenter fuerit bonæ fidei poſſeſſor. *l. ſi bonæ ff. de noxalib act. ſi bonæ fidei poſſeſſor* inquit Julius Paulus) *eum ſervum, quem bona fide poſſidebat, dimiſerit, ne agi cum eo ex noxali cauſa poſſet, obligari eum actione, quæ datur adverſus eos qui ſervos in poteſtate habent, aut dolo faciunt, quò minùs haberent, quia per hoc adhuc poſſidere videntur.*

6. AMPLIATUR *2.* tam in illo qui verè poſſedit, quàm in illo qui fuit, & deſijt eſſe in poſſeſſione. Ut proinde nomen poſſeſſoris non ſtrictè, ſed amplè capiatur, prout non tantùm naturalem & civilem poſſeſſorem, verùm etiam eum, qui detinet v. g. Colonum, conductorem depoſitarium, & ſimiles comprehendat.

7. AMPLIATUR *3.* non ſolùm in eo, qui dolo deſijt poſſidere, verùm etiam in eo, qui dolo fecit ne poſſideret, quod diſertè voluit Ulpianus. *l. ſed etſi. §. perinde. ff. de pet. hæredit.* ubi ait: *nam & is, qui dolo fecit quominùs poſſideret, ut poſſeſſor condemnatur. Accipies ſive dolo deſierit poſſidere, ſive dolo noluerit poſſeſſionem admittere.* Quod utique verum eſt, cùm quis in ea cauſa verſatur, ut ex contractu, vel quaſi contractu teneatur acquirere. Alioquin, cùm quis ſic non tenetur acquirere, pro poſſeſſore non condemnatur, qui deſijt, cùm poſſet, acquirere.

8. AMPIATUR Denique, ut locum habeat, etiamſi per multas manus; multóſque poſſeſſores ambulaverit poſſeſſio, quia facto variatæ poſſeſſionis jus domini non conſentientis mutari non poteſt. Néque idcirco minor eſt dolus primi poſſeſſoris, quòd plures eum ſequentes dolo deſierint poſſidere. Ripa & Alciat. apud Peck. *hic.*

REGULA XXXVII.

1. *Utile non debet per inutile vitiari.*

2. Hunc refer textum *in cap. 5. De Arbitris. in c. Dilectus 19. De præbend.* & facit id, quod Domitius Ulpianus pro Regula tradidit, videl. quod non ſoleant ea quæ abundant vitiare ſcripturas. *L. non ſolent. ff. h. t.* & quod abundans cautela non noceat. De quo confer Gail. *1. obſ. 144. n. 3. & lib 2. obſ. 1* N. 2. niſi nova átque inſolita ſit, ut doli fraudíſque præſumptionem habere videatur. Ratio autem Regulæ eſt, quòd, cum nemo præſumatur eligere viam, per quam judicia ſua & actus ſubvertantur; videantur contrahentes vel actum gerentes ab initio hanc habuiſſe cogitationem, ut ſi quid inutiliter vel ſuperfluè adiiceretur, non noceret. Ad hæc; lex imitatur naturam; & ideo, ſicut natura rejicit omnia inutilia & ſuperflua, ut ea quæ ſunt utilia conſervet, ita & lex. Deníque ſicut id, quod eſt dignius & potentius trahit ad ſe, quod eſt miniùs dignum, ejúſque vim abſorbet, ita & hîc quóque, quod utile eſt, confuſcat inutilia, eorúmque effectum impedit.

3. Cæterùm dicitur quid inutile, vel defectu *cauſæ efficientis.* Veluti ſi poteſtatem agendi, contrahendi, diſponendi non habet is, cum quo agitur. Vel ex defectu *cauſæ Materialis.* Veluti ſi tam anguſti loci demonſtratione factâ, via conceſſa fuerit, ut néque vehiculum duci, néque jumentum ire queat. Vel ex defectu *cauſæ formalis:* veluti ſi forma & ſolemnitas teſtamentorum aut ſtipulationis non ſit ſervata. Vel demùm ex defectu *cauſæ finalis.* Si quidem cauſâ finali privilegij, immunitatis vel diſpoſitionis ceſſante omnia corruunt, atque planè inutilia cenſentur. Unde breviter inutile id totum dixeris, quod eſt contra legem vel naturam ejus rei de qua agitur.

4. Latiſſimè patet hæc Regula, & non ſolùm per contractus & teſtamenta, verùm etiam per judicia & res ſpirituales diffunditur ejus uſus & tractatio; quin & locum habet adverſus Principem ipſum. Nam ſi quis portet merces licitas & illicitas, non niſi illicitæ publicantur Salicet. *ad L. cum proponas. C. De naut. foen.* & ſi edicto cautum fuerit, ne farina evehatur, equus vel currus quo evehitur publicari nequit. Salicet. *ibid. col. pen.* Quia Statuta ejuſmodi ſunt ſtricti juris, ac proinde interpretatio eorum coarctanda, non amplianda eſt. Aliud tamen practicari videmus fortè propter avaritiam & iniquam cupiditatem miniſtrorum, telonariorum, vigilum, &c.

5. DI-

5. DICES. Si in electione Epiſcopi, vel alterius Prælati cum Clericis qui intereſſe poſſunt, intervenerit Laicus, electio in totum nulla eſt. *Cap. Meſſana. De Election.* Ergò utile per inutile vitiatur. ℞. Quoniam Laici, de jure Prælatorum Electioni ſe immiſcere non poſſunt, ideo lex in odium hoc pro forma introduxit, ut ſi, cùm non poſſint adeſſe, nihilominus adſint, actus in totum annulletur Immola & alij *in d. c. Meſſana.* Alioquin ceſſante defectu formæ, alio jure utendum foret, ut in alijs factis univerſitatum, in quibus, ſi admittantur inhabiles cum habilibus, propter inhabiles actus non vitiatur, ſi habilium numerus major ſit. confer Gail. *1. P. P. 7. n. 21.*

6. Pro ſolutione plurium objectionum Notandum, quòd Regula hæc locum non habeat, & fallat, quando cauſa individua eſt, & utile ab inutili ſeparari non poteſt: eſt autem res individua, vel ex lege vel ex contrahentium ſeu diſponentium voluntate. Vide fuſiſſimè & ſolidè hac de re Peck. *hìc à n. 11.*

REGULA XXXVIII.

1. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.*

2. Ratio eſt, quia qui impugnat rem aliquam, videtur renunciare ſuo beneficio, quod inde conſequi poſſet, & nimis turpe eſt ad hoc redire, cui ſemel renunciandum eſſe exiſtimavit. *cap. cum olim. De Cenſib.* Vide in hanc rem Auguſtinum Barboſ. *in tract. Axiom. juris uſu freq. Axiom. 31. n. 1.*

3. Hæc Regula procedit non ſolùm in judicijs, contractibus, & Teſtamentis, verùm & in criminibus. Nam ad judicia quod attinet; cùm quis perſonas teſtium impugnat, non poterit id pro ſe allegare, quod in ſuam rem edixerunt. *Cap. præſentium. De Teſtib.* & qui impugnat inſtrumentum, ſe ex eo juvare non poteſt. *Cap. cum olim De Cenſib.* Idem eſt in contractibus. Si enim quis facit contrà inſtrumenta vel conditiones pacis, tranſactionis vel compoſitionis, non poteſt ſe fundare ex pace aut hujuſmodi *l. cum proponas. C. De pactis.* Confer Gail. *1. P.P. 4. 45. & ſeqq.* ſic qui impugnat laudum ſeu ſententiam arbitri, inde ſe tueri nequibit. Paulus Pariſius. *Conſil. 75 n. 3.* Non ſecus in Teſtamentis res ſe habet; ſi quidem qui impugnat Teſtamentum, hæreditatem, vel Legatum, nihil ex eo conſequi poteſt. *L. Papinianus. § meminiſſ. ff. De in offic Teſtam.* confer, Gail. *2. Obſer. 113. n. 6.* Pari modo, qui in Eccleſia furantur,

etiam res non ſacras, quoniam facto impugnant Eccleſiaſticam immunitatem, ex æde ſacra trahi & capi poterunt, neque fructum ſperant immunitatis quam violant. DD. *ad cap. inter alia. De immunit. Eccleſ.* plura exempla recenſet Peck. *hic n.* 1.

4. AMPLIATUR hæc Regula 1. ut obtineat, licet is, qui impugnat nihil probaverit. Nam *qui falſas tabulas dixerit* (inquit Imperator *l. qui falſas. C. De falſis*) nec *obtinuerit, ad defuncti judicium aſpirare non poteſt.* Quia quantùm in ſe fuit fecit, adeóque affectus ille, qui non ſubſiſtit in meris limitibus nudæ cogitationis, ſed ulterius progreſſus eſt, puniri debet quantum cúnque effectus finalis non ſit ſecutus. *Arg. l. is qui cum telo. C. De ſicarijs.* Vide Gail. 1. *PP.* 14. *per tot.* Intellige tamen, niſi quis ante ſententiam deſtiterit. Nam qui falſum dixit inſtrumentum, poteſt dolere & dicere ſe errâſſe, quia lex parcit pœnitentibus & errorem ſuum agnoſcentibus, ut ſaltem mitiùs puniantur.

5. AMPLIATUR 2. ut non ſolùm ex teſtamento aut inſtrumento impugnato fructum non percipiat impugnans, nec pro eo conſequendo agere poſſit; Verùm etiam, fructus jam perceptos reſtituere cogatur. Gloſſ. & DD. *ad d. l. qui falſas.* ídque propter improbam intentionem ejus, qui propriam cauſam acquiſitionis & poſſeſſionis ſuæ impugnat. Quin imò

6. AMPL. 3. ut locum habeat etiam in eo, qui non impugnavit, ſed celavit & ocultavit. Nam ſi Legatarius occultet Teſtamentum, fructum ex eo non habet, privatúrque legato, & remanet illud apud hæredem ſcriptum, quia (ut Juſtinanus ajt) *indignum eſt hunc accipere fructum calliditatis ſuæ, qui voluit hæredem hæreditate fraudare l. penul. C. De legat.* plura apud Peck. *hic n.* 3.

REGULA XXXIX.

1. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex eo.*

2. Deſumitur *ex l. oratio ff. de ſponſal. l. pupillus. §. ſed ſi ff. De Authorit. tutor. lib. eos in fin. C. De uſuris.* Vide Barboſ. in tract. *Axiom. juris uſu freq. Axiom.* 193. *n.* 3. Ratio Regulæ eſt, quia ſicut, cùm quid conceditur, cenſentur conceſſa omnia per quæ ad id, quod conceſſum eſt pervenitur, aut ex eo ſequuntur, ita ſi non liceat lege prohibente quid facere, nec licebit illud facere per quod ad id quod prohibitum, pervenitur, aut ex eo ut tali ſequitur.

3. DICES 1. Contractus ex turpi cauſæ prohibetur, quin & irritatur à jure, & tamen res ita in accipientem tranſit, ut repeti non poſſit. *l. 2. C. De condit. ob turp. cauſ.* ℞. id propter aliam juris

Re-

Regulam accidere, quia nempe in pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis, ut turpitudo efficiat ne datum repeti poſſit.

4. DICES 2. Lex prohibet ſervum prætorem eſſe, aut Magiſtratum gerere, nihilominùs tamen omnia, quæ ex ejus imperio & Juriſdictione ſecuta ſunt, rata habentur. *L. Barbarius Philippus. ff. De officio Prætoris.* ℞. Quòd propter publicam tranquillitatem receptum ſit, ut valeant ejus acta, & ut error communis accedente titulo colòrato, pro jure ſervaretur, Oppidò enim iniquum foret, omnes illos decipi, eorúmque contractus & judicia ſubverti, qui famâ publicâ inducti, ipſum legitimum rati ſunt Prætorem.

5. DICES 3. Lex prohibet, ne quis interdicente Domino alienum fundum ingrediatur: ſi quis támen contrà prohibitionem Domini ingreſſus, feram beſtiam vel avem ceperit, ſuam facit. *Gloſſ. in l. 3. De acquir. rer. Domino.* ℞. communem ſententiam eſſe, quòd ſi quis privatâ authoritate ingreſſus fuerit fundum alienum, feram beſtiam, quam capit, ſuam faciat, quia injuriarum actio Domino fundi ſufficit. *L. injuriarum §. penult. ff. De injur.* Nudáque prohibitio Domini, juris gentium effectum im pedire non debet, præterquàm ſi fructus fundi ex venatione, aucupio, vel piſcatione, conſtent, & Saltus, aut vivaria ita concluſa ſint, ut feræ moraliter captæ intelligantur.

REGULA XL.

1. *Pluralis locutio duorum numero contenta eſt.*

2. Hanc Regulam exornant Card. Tuſchus *Tom. 11. Lit: D. Concluſ. 333. n. 1.* & Barboſ: *in tract. Axiom. jur. uſufreq. Axiom: 179. à n. 1.* Exempla quóque conquirere poteris *ex cap. is cui. 1. circa fin. De præbend. in 6. ex c. hoc quoque. De conſecrat. Diſt. 1.* Ratio eſt. Quia in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur: inter numeros verò nullus ſit minor, quàm binarius, ſeu duorum: unum enim non eſt numerus, ſed numeri principium. Quare ubi lex, vel conventio partium, pluralis numeri meminit, in dubio ad hanc Regulam confugitur, ut ſcil. duo ſufficiant, néque enim hæc pluralitas ad Græcorum, loquendi uſum revocari debet, qui ſi de duobus ſermo eſt, duali; ſi de tribus vel pluribus, plurali numero uti ſolent. Sed néque ad pronomina pertrahenda eſt, ut ſunt *nos*, *vos*, *noſtrum*, *veſtrum*, quæ etſi naturâ ſuâ plura denotent, in Pontificibus tamen & Principibus alíjſque inſignioris notæ viris, ubi vel ipſi loquuntur, vel ad eos ſermo eſt, non pluralitatem deſignant, ſed Majeſtatem ſive digni-

dignitatem. Nec porrò Regula noſtra ad illas pertinet ſpecies, quæ certum numerum v. g. teſtium expreſsè requirunt, veluti in teſtamentis aut codicillis, ceſſat enim tunc obſcuritas.

REGULA XLI.

1. *Imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi non facit, quod per eum eſt faciendum.*

2. Exemplum habemus *ex cap. 1. De Clerico Ægrot.* quo Clericus ægritudine impeditus, beneficij ſui fructus percipit, quia per eum non ſtat, quò magìs Eccleſiæ inſerviat, & ex reſponſo Pauli I. C. De ſervo, cui libertas legata eſt, ſi uno anno hæredi inſervierit: ſi enim propter valetudinem aut aliam juſtam cauſam ſervire non poſſit, nihilominus libertate donatur. Similiter *ex cap. commiſſa. 35. §. 1. De Elect. in 6.* ubi, licet is, cui parochialis Eccleſia collata eſt, intra annum adeptæ poſſeſſionis cogatur ordinem presbyteratûs ſuſcipere; excuſatur temen, ſi juſtâ ratione præpediatur. Hinc rectè quóque dicimus non valenti agere, non currere præſcriptionem. Ad judicia quóque quod attinet; tempora appelationum, ſeu fatalia non currunt legitimè impedito. Sic & in pænis certum eſt, quòd impedimentum excuſet v. g. emphyteutam à pæna caducitatis, quemadmodum & excuſat à comminata excommunicatione *per cap. quæſtionis. De Appellat.* quin imò ſi impeditus excommunicatus fuerit, adeò excuſatur, ut non egeat abſolutione, quia non præſumitur hac mente fuiſſe judex, ut legitimè impeditum excommunicare voluerit.

3. Hæc Regula vera eſt, etiamſi forma actûs (jure poſitivo introducta) fuerit omiſſa à legitimè impedito. Sic tempore peſtis forma teſtandi & ſolemnitates utcunque remittuntur, quia non ſtat per teſtatores quò magìs eas ſervent. Confer Gail. *1. obſer. 92 n. 7. & 2. obſ. 23. n. 7. & obſerv. 118. n. 18. & 19.* Peck. *3. De Teſtam. con. 28.*

4. Quin uſque adeò hæc Regula obtinet, ut is, per quem non ſtat, nedum præſervetur à damno, verùm etiam capiat lucrum. Nam impeditus adire hæreditatem, reſtituitur ad commodum hæreditatis. *l. cum quidem. ff. De acquir. hæred.*

5. Cæterùm, quoniam impedimentum præſtitum eſſe, vel non eſſe, *facti*, non *juris*, eſt quæſtio, utique non præſumitur, ſed probari debet ab eo & quidem evidentiſſimis probationibus *arg. l. ult. §. illud. C. De tempor. appellat.* & proinde per teſtes, præterquàm, ſi impedimentum eſſet tale, quod non poſſet facilè per teſtes probari, tunc

tunc enim probabitur per juramentum, attenta qualitate perſonæ, & ſub judicis arbitrio. Vide Peck. *hic n. 5.*

6. Adde tamen, quòd non ſufficiat allegare impedimentum, niſi probetur, quòd illud fuerit cauſa immediata ob quam non eſt factum id quod fieri debuit. Gail. *1. obſerv. 143. n. 2. & 3.* Unde ut canonicus infirmus participet diſtributiones quotidianas, non ſufficit probare ægritudinem, niſi doceatur, quòd infirmitas reapſe ſit cauſa, cur non interſit divinis, ſi enim dum ſanus erat, equidem ſolitus fuerit abeſſe, nihil ipſum infirmitas juvabit. Paulus Pariſius *lib. 3. conſil. 67. n. 30.* Zoëſius *ad tit. De Clerico Ægrot. n. 1.*

REGULA XLII.

1. *Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.*

2. Varia hujus Regulæ exempla utróque jure extant, ut ecce! Gratia ſummi Pontificis, ſicut ejus morte non exſpirat, ita néque executorum in eam rem datorum poteſtas, quæ acceſſoria eſt. *c. ſi ſuper. 9. De offic. & poteſt. jud deleg.* ſic & mandatâ cauſæ cognitione, citatio partium ac coercitio contumacis, quæ ad ipſam cauſam ſpectant, tacitè continentur. *c. 5. eod.*

3. Principale ut ut diverſimodè aliàs (idem de acceſſorio) accipiatur; in hac tamen materia principale iſtud dicitur, quod per ſe ſtat, & propriâ virtute ſubſiſtit: acceſſorium verò, quod pendet à principali, & per ſe non ſubſiſtit, ſed alteri ineſt, & accedit, ſicut apud Philoſophos accidens adhæret ſubjecto.

4. Jam verò licet maximè congruum ſit, ut acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, ſecus tamen è converſo; quia non convenit principale regulari ſecundùm naturam acceſſorij, quod cùm ſit accidens poteſt adeſſe vel abeſſe ſine corruptione principalis. Atque hinc fit, ut quemadmodùm ex acceſſorio legitimo principale vitioſum non ſubſtinetur, ſic per contrarium nec ex acceſſorio vitioſo, principale legitimum vitietur, fit itidem, quòd remiſſo pignore, non cenſeatur remiſſum debitum principale, juxta *l. 3. ff. De pact. l. ſervo 25. C. De pignorib.*

5. Nec obſtat *text. in l. 2. ff. De pact* cum alijs, quibus habetur, quòd ſi creditor reddat debitori inſtrumentum debiti, videatur eo ipſo debitum remiſiſſe. *Ratur* enim diverſam eſſe rationem in uno átque in alio caſu. Nam in inſtrumento debiti debitum ipſum continetur, ut ejus redditio remiſſionem præſeferre videatur. juvat *l. 1. C. De donat.* ubi traditio inſtrumenti, traditionem importat ejus,

quod

quod in inſtrumento continetur: at verò pignus non ipſum debitum, ſed tantùm debiti acceſſionem continet, ſicut & fidejuſſio: proinde reddito pignore, aut liberato fidejuſſore, debitum ipſummet remiſſum haud cenſetur. *L. ſi fide juſſoris. 34. ff. De pact.* FACIT quòd in dubio, donatio non præſumatur, ubi alia interpretatio commodè fieri poteſt, *l. cum de indebito. ff. De probat.* Dein; conſtat pignoris redditionem poſſe debitori utilitatem adferre ſcil. uſum ipſius pignoris; ex redditione autem chyrographi nulla utilitas poteſt debitori reſultare, niſi liberaretur à debito.

6. Ex quibus patet, genuina hujus Regulæ intelligentia, ut procedat in quocúnque acceſſorio, quàm diu verè & propriè tale permanet, non autem in eo, quòd licet ipſius figuram habere videatur, verè tamen non eſt, ſed migrat in principale, aut ſaltem ſeorſim conſideratur, tanquam per ſe ſtans, ut in ſpecie *cap. debitores. De jur. jurand.* ubi juramentum de ſolvendis uſuris accedens illarum promiſſioni, non ut acceſſorium ſed ut principale judicatur.

7. Equidem LIMITATUR hæc Regula PRIMò. Ubi militat diverſa ratio, ut Exempli gratiâ; quando in principali tractatur de damno, & in acceſſorio de lucro. Menoch. *conſil. 58. in fine* Card. Tuſchus. *lit. A. concl. 76. n. 34.* SECUNDò. In actibus denotantibus translationem dominij, & quando illud, quod dicitur acceſſorium, eſt arduum, nec de eo fuit veriſimiliter cogitatum à concedente; tunc enim conceſſo principali non cenſetur acceſſorium conceſſum. Card. Tuſch. *d. l. A. concl 79. n. 3.*

8. OPPONES contrà Regulam: juxtà *Authent. ex cauſa* §. *cætera. C. de liber. præterit.* Si teſtamentum ex cauſa præteritionis vel exhæredationis filij irritum fiat, non proinde invalida ſunt legata, fidei commiſſa, libertates, tutorum dationes, & cætera teſtamenti capitula. Ergò acceſſorium non ſequitur, naturam ſui principalis. *R. detur* ideo prædicta deberi à venientibus ab inteſtato, quia ab ipſa lege (quæ præſumptam patris voluntatem in hoc ſequitur) gravati cenſentur, ídque ex nova Imperatoris deciſione, qui irrito teſtamento voluit, ut legata deberentur: cujus conſtitutionis ulterior potuit fuiſſe ratio: Quia, cùm filius præteritus vel exhæredatus ſolùm agat ad impugnandam hæredis ſcripti inſtitutionem, quatenus hæc præjudicium & injuriam ſibi inferebat, & ità ſolùm intendat reponi in eum ſtatum, quem ſemotâ tali præteritione vel exhæredatione habuiſſet; meritò teſtamentum fit irritum quò ad ſolam præpoſteram inſtitutionem, non autem quo ad legata, libertates & cætera teſtamenti capitula,

pitula, propter quæ nec damnum nec injuriam patitur, cùm parens relictâ filio debitâ portione, potuiſſet de reliquis bonis ad libitum diſponere Barboſ. *in collectan. hìc n. 19.* idem docet Gail. *2. obſerv. 113. per tot. & obſerv. 134. n. 3.* Itaque Regula noſtra locum non habet, quando eſt ſpecialis proviſio in acceſſorio, vel quando non eſt eadem ratio in utroque Gail. *1. P P. 5. n. 26.* Peck. *de Amortiz. cap. 20.*

9. OPPONES iterùm. Principalis debitor ex mora tenetur ad uſuras, non tamen tenetur fidejuſſor, *per l. Centum Capuæ. ff. de eo quod certo loco.* Cùm tamen certum ſit fidejuſſoriam obligationem eſſe acceſſoriam duntaxat. ℞. quòd uſuræ veniant in arbitrarijs actionibus præter naturam contractûs: atqui fidejuſſor tantùm obligatur ad ea, quæ profluunt ex natura contractûs. *l. mora. §. in bonæ fidei. ff. de uſur.* niſi tamen in omnem cauſam ſe obligaverit, tunc enim cenſetur quoque ad uſuras ex mora principalis debitoris ſeſe obligâſſe propter effuſiſſimam locutionem, quia qui omne dicit, nihil excipit. èontra verò, ſi fidejuſſor ſimpliciter interceſſerit: ex mora principalis debitoris, non augetur ejus obligatio ad uſuras. Cùm enim ſemper effectus contractûs ſe referat ad tempus contractæ obligationis. *l. Rutilia. ff. de contrah. empt.* non videtur fidejuſſor ſimpliciter intercedens in aliud ſe obligare, quàm interceſſionis tempore debitum erat. *l. per retentionem. C. de uſuris.* tempore autem obligationis, non uſuræ, ſed ſors principalis debebatur. DD. apud Peck.

REGULA XLIII.

1. *Qui tacet, conſentire videtur.*

2. Deſumitur. *ex l. 2. §. voluntatem. ff. ſolutio matrim. ex l. 2. C. de acquir. poſſeſſ ex l. ſi ſine. C. Ad vellejan. ex cap. nônne. de præſumpt.*

3. Hanc Regulam nudè inſpectam defendi non poſſe, ſed ad certas ſpecies coarctandam eſſe vult Caniſius. Verùm iſthæc expoſitio inofficioſa nimis, & jejuna eſt.

4. Alij mole difficultatum preſſi, opinantur, Regulam circa conſenſum ex taciturnitate collectum, non affirmativè ut hîc, ſed negativè concipiendam eſſe, aſt hi potiùs impugnant, quàm exponant Regulam, quæ affirmativè exprimitur.

5. *Gloſſa ult. in d. c. nônne* contendit, quòd, ſi agatur de amittendo rei propriæ dominio, tacens regulariter non conſentiat, quaſi in tacente tunc ſolùm præſumatur conſenſus, quando rei ſuæ dominium non amittit. Ratio eſt; quia in dubio nemo præſumenendus eſt ita ſupinus, ut res ſuas, quarum dominium multis fortaſsè laboribus

comparavit, levi brachio velit profundere. SED confunditur *per text. in l. ſi ſervus communis. 39. ad fin. ff. de Donat. inter virum, &c.* Ubi ex præſentia & taciturnitate inducitur donatio pro parte dominij quod dominus habebat in ſervo, & per *text. in cap. ſi ſervus. Diſt.* 54. ubi agitur de dominio ſervi amittendo, & tamen tacens habetur pro conſentiente.

6. Quamobrem alij, qui rem altiùs tetigiſſe putarunt, exploſo intellectu iſtius Gloſſæ, diſtinguunt inter actus, quos tacens poterat contradicendo impedire, & inter illos, qui eo invito & contradicente validè celebrantur, ut in prioribus tacens conſentire præſumatur, & ita procedat Regula, ſecùs verò in poſterioribus. SED CONTRà, quia hæc utut communis ſententia, non omni ex parte ſatisfacit, & plures patitur inſtantias; ſiquidem pignoris conſtitutio eſt de illis actibus, quos dominus præſens poterat contradicendo impedire, quia in re aliena abſque domini conſenſu non valet pignoris conſtitutio. *L. aliena res. 20. ff. de pignorat. act. l. quæ prædium. C. ſi aliena res pignori, &c.* & tamen licet dominus præſens ſit & taceat, non præſumitur conſentire, niſi aliud addatur. Econtra vendito rei pignori obligatæ, ſicut & venditio rei alienæ eſt actus, qui creditore vel domino invito, de rigore juris valet. *l. rem alienam. 28. ff. de contr. empt.* & tamen ſi venditio fiat præſente creditore tacente, conſentire præſumitur in liberationem pignoris, cùm jus pignoris remiſiſſe cenſeatur. *l. 2. C. de remiſſ. pignor. l. ſi debitor. 4. §. 1. ff. quibus mod. pig.* Igitur tametſi illa diſtinctio, an tacens poſſit actum contradicendo impedire vel non alicujus ſit conſiderationis, non tamen ſufficit, ut tacens generatim conſentire vel diſſentire præſumatur.

7. Quare agmen Doctorum diſtinguit, ut in favoriabilibus præſens & tacens præſumatur conſentire, atque ita procedat Regula; in præjudicialibus verò non pro conſentiente, ſed pro diſſentiente regulariter habeatur. Sed & hæc popularis opinio REFUTATUR *1mò* ex *textu in d. cap. nónne. de præſumpt.* ubi D. Gregorius Regulam ſtatuit affirmativam ibi: *tacendo conſenſit.* Néque diſtinxit inter favorabile & præjudiciale. *2dò* ex verbis Bonifacij in *textu* hujus Regulæ, & ſanè ſi Regula in ſolis utilibus verificaretur, facillimum fuiſſet illud exprimere, quin imò, cùm experientia doceat, longè, frequentius contingere præjudicialia, quàm favorabilia, oportuiſſet potiùs Regulam negativam concipere pro præjudicialibus tanquam frequentioribus. Dein; confutatur ex varijs juribus, quibus agitur de materia præjudiciali, & nihilominùs tacens præſumitur conſentire, textus bonus *in d. cap. ſi ſervus.*

8. Quam-

8. Quamobrèm, ut Pontificum & ICtorum Regulas retentâ ſermonis proprietate tueamur; ſciendum eſt *imò*, quòd ſi tacens ignoret actum fieri, nunquam cenſeatur conſentire, Ratio in promptu, quia conſenſus ferri non poteſt in illud quod eſt omninò ignoratum nec dicitur volitum, niſi illud, quod vel aliquo modo ſcimus, vel ſcire tenemur D. Thomas. *1. 2. q. 76. art. 1. ad 2. 2dò.* Sciendum, in dubio, ſive agatur de amittendo rei dominio, ſive non, ſive de utilibus aut præjudicialibus; & tandem, ſive actûs validitas poſſit impediri per contradictionem ſive non; illum, qui tacet *præſumi conſentire*, dummodò tamen legitima in contrarium non detur conjectura. Ratio: quia in dubio nulla ſupponitur conjectura impediens facultatem contradicendi, ſed facillimum eſt unicuique contradicendo oſtendere proprium diſſenſum & contrariam voluntatem præcipuè cùm nobis omnibus naturâ inſitum ſit contradicere illis, quæ fieri nolumus: niſi aliàs impediamur. Planè ſicut, alias in dubio, dum aliud non conſtat, in nobis præſumuntur illa, ad quæ nos ducit naturalis propenſio. *Arg. cap. 2. de præſumpt.* ſic in dubio nemo præſumitur velle ſuum patrimonium jactare. *cap. quia veriſimile. 10. eod* ſic néque in judicem ſuſpectum in dubio quis conſentire præſumitur *Clement. Paſtoralis §. cæterùm.* Dixi *præſumi conſentire* ídque ex veriſimili juris præſumptione, quam ſatis ſignificat verbum *videtur.* Equidem hæc præſumptio datâ in contrarium legitimâ fortioríque conjecturâ ceſſabit. *Arg. cap. literas. 14. cap. licet cauſam. de probation.* Unde ſi nutu vel alio ſigno oſtendatur contradictio, evaneſcet præſumptio.

9. NEC OBSTAT. *Lex ſi filiusfam. 18. ff. Ad Macedon.* dum probat patrem præſentem ac tacentem, non præſumi conſentire, niſi inſuper literas, in quibus agatur de eo obligando recipiat ábſque ulla proteſtatione contrariæ voluntatis. ergò. ℟. licet dum factum recipientis literas, cum taciturnitate in ſimul concurrit, à fortiori præſumatur conſenſus; nihilominus hujusmodi præſumptio potiſſimùm reſultat ex taciturnitate illius, qui, cùm poſſet, non contradicit, patet in audiente nuntium & tacente, qui abſque ullo facto interveniente, præſumitur conſentire.

10. INSTABIS *imò.* Præſens & tacens, ſtipulanti non obligatur, néque conſentire videtur. *L. 1. in princ ff. de V. O.* & qui Baptizatur, atque loqui poteſt, non cenſetur conſentire ſi taceat ad interrogata. *cap. cum pro parvulis. de conſecrat. diſt. 4. 2dò.* Si præſenti & tacenti res ſua furto auferatur, tantùm abeſt, ut conſenſiſſe videatur, ut etiam furti actionem conſequatur, perinde atque ſi eo invito res eſſet ſublata. *L. penult. ff. de furtis.* Ergò falſum eſt, quod taciturnitas inducat præſumptionem conſenſûs.

11. Ad

11. Ad *1mum* ℟. quòd verba ſint de forma ſtipulationis, cui formæ nihil addi aut detrahi poteſt. Adeóque ubi lex loquelam pro forma requirit, ibi taciturnitas nihil operatur. Eodem modo res ſe habet in Baptiſmo adultorum. Lex enim ibidem requirit expreſſa verba, ut conſtare poſſit de indubitata mente ejus, qui baptizatur, ne ſub prætextu chriſtianiſmi judaicus vel gentilitius animus in homine latitaret: Præterea, in Baptiſmo, ubi fit prima fidei confeſſio, DEUM non ſolùm corde & opere, ſed & ore confiteri debemus. Ad *2dum* ℟. hoc ideo eſſe quia hîc legitima in contrarium datur conjectura, nemo enim cenſetur violento raptiori velle donare res ſuas. Præterquàm quòd & hoc odio furum receptum ſit, qui quod tacuerit dominus objicere, & ſic propriam turpitudinem allegare non poſſunt.

REGULA XLIV.

1. *Is qui tacet non fatetur, ſed nec utique negare videtur.*

2. Coincidit. *lex 142. ff. h. t. qui tacet non utique fatetur, ſed tamen verum eſt, eum non negare.* Ratio: quia tacens medium tenet inter confitentem & negantem. Igitur non eligit aliquid ex prædictis extremis.

3. Verùm obſtat maximè Regula præcedens: *qui tacet conſentire videtur.* Quare pro utriúsque Regulæ reconciliatione ſciendum eſt, illum, qui præſens eſt, & tacet dupliciter poſſe conſiderari. Vel enim ſimpliciter & abſolutè tacet abſque aliqua conjectura extrinſecùs adveniente, quæ confeſſionem vel negationem ſuadeat, aut conjectura in contrarium ponitur, velut ſi ex duobus illatis alterum neget vel fateatur. Primo caſu medium datur inter confeſſionem & negationem, ita ut tacens neque fateatur, neque neget, & ita procedit hæc Regula & *d. l. qui tacet.* in ſecundo verò adverſative alterutrum fateri aut negare videtur. *cap. nónne. de præſumpt.* Dein bene notandum; quòd in præſenti Regula dicatur: *non fatetur.* in priori verò dictum ſit *conſentire videtur.* Aliud enim eſt verè & poſitivè fateri, aliud verò *videri,* ex præſumptione ſcil. *conſentire.*

REGULA XLV.

1. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerúmque fieri conſuevit.*

2. Eadem ſententia eſt. *in l. 114. ff. h. t.* & ſuprà *in l. 96. eod.* Ratio: quia ſicut homo ex corpore & anima, ita & actus humani ex men-

mente & verbis conſiſtunt. Verba tanquam ſuperficies ſunt, mens verò ſpiritus & anima. Jam verò ut Baldus ait. *lib. 2. conſil. 275. n. 2.* Lex non aliter ſequitur pedetentim veriſimilem mentem conrrahentium, teſtantium, ſeu aliorum, quàm ſequi ſoleat venator veſtigia leporis.

3. Itáque, cùm facta hominum penè infinita ſint, cúmque etiam multa clam & ſecreto fiant ſemotis arbitris, de quorum veritate directè conſtare non poſſit, ut adulteria, ſtupra & id genus alia, lex recurrit in ſubſidium ad id, quod factum fuiſſe veriſimile eſt, per indicia & conjecturas, quæ judicis arbitrio committuntur. *cap. literis de præſumpt.* Gail. *lib. 2. obſ. 93. n. 17. & ſeq. & obſerv. 109. n 1. & obſ. 149. n. 9.* Sanè certa Regula hìc conſtitui non poteſt de ea, quid veriſimile dicatur, ſed ex factorum diverſitate id colligitur, & aliquando quidem ex conſvetudine loquendi ipſius v. g. teſtatoris. *l. Labeo. ff. de ſupell. legata:* Aliquando ex ſignis & lapidibus antiquis. Alciatus *Conſil. 357. n. 2.* Gail. *d. obſerv. 149. n. 8.* Aliquando ex qualitate perſonarum, quibus v. g. dotes conſtitutæ, vel alimenta legata ſunt. *L. cum unus. §. alimenta. ff. de aliment. legat.* Aliquando demùm ex jure communi, nam ea quæ juri communi concordant veriſimilia eſſe dicuntur, cùm quilibet præſumatur accomodare voluntatem ſuam ſecundùm leges. *L. quæro §. inter locatorem. ff. locati.*

4. Exemplificatur hæc Regula *1mò* in contractibus. Nam ſi res vendita, ſit decem florenis, nec additum fuerit flandricis aut Rhenanis, inſpicimus, quod eſt veriſimile: nempe quo loco res fuerit vendita, quæ pecunia ibi uſualis, & an res digna erat, quæ venderetur decem florenis Rhenanis, aut Flandricis. *2dò.* in delictis & pænis. Sic ſi confeſſio ejus, qui quæſtioni ſubjectus eſt, non ſit veriſimilis; judex ex ea reum condemnare non debet. *3tiò.* in cauſis ſpiritualibus. Sic veriſimile eſt permutationem beneficij eſſe fraudulentam & Simoniacam, ſi quis permutet tenue beneficium cum pingui. Panormit. & Felinus *in cap. quia veriſimile. De præſumpt.* Sic èontra veriſimile non eſt, quòd Pontifex concedendo uni gratiam, velit detrahere honori alterius Eccleſiæ. *4tò.* in Teſtamentis. Quia ſi quis filio ſubſtituat Titium; intelligitur hæc ſubſtitutio, ſi filius abſque liberis diſceſſerit. *l. cum avus ff. De conditionib: & Demonſt. &c.* Quia non eſt veriſimile, Patrem, ſi de nepotibus cogitâſſet, ſubſtituiſſe Titium. *l. generaliter. C. De inſtitut. & ſubſtit.* ſed.

5. OPPONES. 1mò. juxtà vulgatum Axioma: caſus omiſſus in lege, teſtamento, aut conventione habetur pro omiſſo, *l. commo-*

diſſimè: ff. De liber. & Poſthum. Ergò ad verisimiles conjecturas non recurrendum. *2dò.* Quando lex obſcura eſt, vel quando inſolitus caſus emergit, in lege non expreſſus, aut dum quæſtio dubia eſt, ad Principem pro interpretatione, explicatione, & deciſione illius convolare oportet. *l. fi. C. De ll.* proinde inferiori Magiſtratui non licet juxta veriſimilem Principis voluntatem judicare, ſed ſecundùm Principis interpretationem. *3tiò.* Contra illam particulam: *plerúmque fieri conſvevit.* Rarò accidit, quem ſeptimo menſe naſci, vel à matre quinquagenaria in lucem produci, & tamen lex hunc rarum caſum conſiderat, eúmque qui ſic natus eſt, non ante nuptias, ſed ex legitimo matrimonio conceptum & natum præſumit. *l. ſeptimo menſe. ff. De ſtatu hom. l. ſi mater C. De legitim. hæred.* Ergò.

6. Ad 1mùm ℞. Caſum omiſſum haberi pro omiſſo, niſi omiſſus ſit ſimilis expreſſo. Nam quæ rationis nexus, vel ſimilitudo conjunxit, diſpoſitio juris non ſeparat, ſed tacitè pro expreſſis habet. Vide Tiraquell. *lib. De jure primogenituræ. q. 40. n. 193.* Gail. *1. Obſerv. 35. n. 10. & Obſer. 121. n. 1. & De Arreſ. cap. 11. n. 1.* Peck. *5. De Teſtam. con. 20. n. 1.* Adde; quòd ſimilitudo ſit cognata naturæ, & quòd, qui arguit à veriſimili, argumentetur a ratione in natura fundata dicatúrque habere textum legis pro ſe. Ad *2dùm.* ℞. Ad Principem pro interpretatione recurrendum eſſe, quando alioquin de ejus veriſimili mente non conſtat, alias ſecùs. Ad *3tiùm.* ℞. Concurrentibus alijs præſumptionibus etiam inſpiciendum fore, quod rarius eſt. Jam verò in caſu Argumenti præſumptio eſt pro pudicitia uxoris, quòd quamvis ſeptem menſibus tantùm nupta fuerit, neminem tamen admiſerit, præter maritum; ne alioquin delictum præſumamus ubi natura hunc partum admittit. Unde alij ajunt, quòd præſumptio non adaptetur ad ea, quæ rarò fiunt contrà vel ſuprà naturam, bene verò ad ea, qua rarò fiunt ſecundùm naturam.

REGULA XLVI.

1. *Is qui in jus ſuccedit alterius, eo jure quo ille uti debebit.*

2. Similis eſt juris Civilis Regula *in l. qui in jus. ff. h. t. qui in jus dominiúmve alterius ſuccedit, jure ejus uti debet.* Dicitur autem in jus ſuccedere, hæres, bonorum poſſeſſor, fiſcus quo ad bona commiſſa: in dominium verò puta rerum ſingularium; Donatarius, legatarius, emptor &c. Priores in univerſum jus ſuccedunt alteri, vicemque ejus ſuſtinent, ut & omnes actiones, tam activè quam

paſſivè

paſſivè in ipſos tranſeant: & quod defuncto profuit vel nocuit, ſimiliter & ipſis proſit vel noceat, exceptis tamen perſonalibus, id eſt, quæ perſonæ defuncti cohærebant, ut ſunt privilegia perſonalia, uſusfructus, uſus, habitatio, actiones pænales necdum motæ à defuncto, revocationes donationum propter ingratitudinem & ſimilia, quæ ad alium non tranſeunt. Quò ad ſingularium rerum ſucceſſores eadem ſuccedendi ratio eſt in ijſdem rebus, ut cùm cauſâ ſua tranſeant in ſucceſſorem, prout enucleatè tradit Ulpianus. *in l. traditio. 20. ff. de acquir. rerum dom. Traditio* (inquit) *nihil ampliùs transferre debet vel poteſt ad eum qui accipit, quàm quod eſt apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit; id tradendo transfert: ſi non habuit. ad eum qui accipit, nihil transfert, quoties autem dominium transfertur ad eum qui accipit, tale trasfertur quale fuit apud eum, qui tradidit. Si ſervus fuit fundus, cum ſervitute tranſit; ſi liber; uti fuit, &c.* Unde fit, ut quæ actori circa eandem rem petendam vel defendendam, competebant, eadem competant & ſucceſſori ſive univerſali ſive ſingulari, aut particulari. Licet enim multùm interſit inter unum & alium ſucceſſorem, in præſenti tamen Regula, ubi legislator indefinitè loquitur, vix attenditur diſcrimen.

3. Jam ut Regulam exemplis illuſtremus, in primis locum habet in hærede. Nam in contractibus ex perſona hæredis non mutatur natura obligationis contractæ cum defuncto Gail. *2. obſerv. 2. per tot.* Sic & in quaſi contractu, actiones tutelæ, & ſimiles hæredibus & in hæredes dantur. In judicijs quóq; illic hæres conveniri debet, ubi defunctus conveniendus erat. Zoëſius & DD. *ad tit. de foro compet.* Gail. *1. obſerv. 37. n. 9.* Quin & Laicus hæres clerici, lite cum defuncto conteſtatâ, coràm judice Eccleſiaſtico rectè convenitur, & écontra. Gail: *d obſerv. 37. n. 8.*

4. Inſuper hæc Regula obtinet. *1mò.* Tam in negotijs rebúsque permiſſis, quàm in prohibitis. Quidquid enim permittitur principali, hoc etiam conceditur hæredi. *L. in omnibus §. non debeo. l. aliud. §. abſurdum. ff. h. t.* &ècontra, quæ non conceduntur teſtatori, nec permittuntur hæredi, *2dò.* Sive is hæres ſit mediatus, ſive immediatus. Nam qui per ſucceſſionem etiam longiſſimam defuncto hæredes extiterunt, veniunt appellatione hæredum ſimpliciter, etiamſi hæredes hæredum in infinitum eſſent. *L. qui per ſucceſſorem. ff. de V. S. 3tiò* Non ſolùm quando quis eſt hæres in univerſum ſeu ex aſſe, ſed etiam, quando eſt hæres pro milleſima parte, quia pro ea parte quâ hæres eſt, repræſentat defunctum, & pro eadem parte eodem jure utitur in permiſſis & prohibitis, & ſicut in ea tantùm parte repræſentat de-

ſunctum hæres, ita & in cæteris cenſetur eſſe extraneus. *4tò.* Etiamſi nulla hæredis mentio in promiſſione vel ſtipulatione facta ſit. Nam cùm plerùmque tam hæredibus noſtris, quàm nobismetipſis caveamus : ſi pactum factum ſit, aut inſtrumentum ſcriptum, in quo hæredis mentio facta non fuerit, nihilominùs adversùs hæredem vires ſuas exercebit. *L. ſi pactum. ff. de probation.* Quia obligatio hæredum virtualiter continetur in inſtrumento.

5. Quid, ſi defunctus de ſuo tantùm facto promiſerit, ſuîque mentionem per dictionem taxativam *ſolummodo* fecerit. Veluti, ſi venditor pactus ſit ſibi *tantùm* licere reſtituto pretio rem venditam recuperare, an nihilominus eo mortuo, hæredi quóque ipſius id permiſſum erit? ℞. licet aliqui exiſtiment dictionem taxativam *tantùm*, *duntaxat, ſolùm, &c.* perſonas etiam hæredum excludere, ne alioquin fruſtrà adjecta eſſe videatur; affirmativam tamen ſententiam, quamvis dubiam, defendit Tiraquellus. *in lib. de retractu convent.* § *1. gl. 6. n. 12.* Piſtor. *ad L. ſtipulatio. n.* 11. *& ſeqq.* Ratio: quia in ſimili ait Pomponius, quod licet creditoris *duntaxat* perſona fuerit comprehenſa, equidem hæres ejus, eodem jure uti poſſit. *L. ſi neceſſarias.* §. *penult. ff. de pign. action.* Quod & Ulpianus quóque ſenſiſſe videtur, dum reſpondit, quòd ſi quis ſe obliget, ne ipſe faciat, obligetur etiam hæres & quilibet ſucceſſor. *L. ſtipulatio. cit.* itáque dictio taxativa videtur tantùm excludere perſonas extraneas, non autem ſucceſſorem univerſalem.

6. Tandem hæres ita debet uti eodem jure, ut ne ex propria quidem perſona poſſit contraire facto defuncti. Nam ſi mater vendidit bona paterna filij, quod certè facere non debuit, equidem ſi filius eidem ſuæ matri hæres eſſe voluerit, bona iſthæc paterna per eam vendita revocare non poteſt, ne ex propria quidem perſona dicendo : ego hæc bona non repeto, tanquam hæres matris, ſed tanquam propria à patre mihi relicta. *L. cum à matre C. de rei vindicat. L. venditoribus. C. de reb. alien.* Pariter, ſi pater teſtamento prohibuerit rem alienari extra familiam; ſi filius eam alienaverit in extraneum; non poterunt filij hæredes ipſius, alienationem ejusmodi revocare, dicendo ſe in illis bonis fuiſſe ſubſtitutos. *L. filiusfam.* §. *cum pater, ff. de legat.* 1. Quia; quem de evictione tenet actio; eundem agentem repellit exceptio. *L. vindicantem. ff. de evictiòn.* Hæc licet ita ſint, nihilominùs.

7. OPPONES. 1*mò.* Hæres ex defuncti delicto non tenetur. *l.* 1. *C. ne ex delict. defunct.* & actiones pænales in hæredem, aut hæredi non dantur. *L. injuriarum actio. ff. de injurijs.* *2dò.* Maritus habet privile-

vilegium in dote, ne conveniatur, ultrà quam commodè facere poteſt, ſed hoc privilegium non habent ejus hæredes, qui coguntur totam dotem ſolvere, ad quod non poterat cogi defunctus. *L. unic. C. de privileg. dot. l. quia tale ff. ſoluto matrim.* 3*tiò.* Donator poteſt propter ingratitudinem, revocare donationem; ſed hæres ejus non poterit. *L. fin. C. de revocand. donat. cap. fin. de donat.*

8. Ad *1.* ℞. hoc eſſe ideò; quia nemo debet alterius odio prægravari, & delicta tenere debent ſuos authores, ut ſic anima quæ peccavit, moriatur, & filius non portet iniquitatem patris. Jam verò, ſicut ex delicto defuncti hæres teneri non debet, ita æquum eſt, ut ex ſcelere & maleficio ipſius lucrum non quærat, & quatenus ex delicto defuncti quid ad eum pervenit, eatenus quóque obligatus ſit. *L. in hæredem. ff. de dolo malo.* & non ultrà nec aliàs de jure ſaltem civili, niſi judicium cœptum, & lis cum defuncto, civiliter ſuper crimine conteſtata fuerit: tunc enim hæres non modo quatenus ad ipſum pervenit, verùm etiam in ſolidum obligatur. *L. unic. C. ne ex delict. defunct.* Quod quidem non facit delictum, ſed litis conteſtatio, per quam quaſi contractus utique tranſit in hæredem. Ad *2.* ℞. quòd illic alia ſit ratio defuncti, alia hæredis. Defuncto marito debebat uxor reverentiam, eidémque ſaltem de honeſtate ſuccurrere tenebatur, id quod lex conſideravit. Hæc autem ratio ceſſat in hætedibus mariti, ex alio thoro natis, aut extraneis. Ad *3.* ℞. quòd is, qui injuriâ affectus fuit, ſi dum viveret intrà annum injuriarum non egit, vel ſi ante mortem donationem propter commiſſam ingratitudinem non revocavit, cenſeatur utique omnem illam injuriam & ingratitudinem remiſiſſe, ut proinde hæres eodem jure uti debeat, & quamvìs aliàs remiſſio juris, ſeu donatio non præſumatur; qùia tamen quíſque chriſtianus moriens, non præſumitur immemor ſalutis æternæ, & depoſuiſſe omnem rancorem, offenſam remiſiſſe, manſuetudinem chriſtianam induiſſe, faciliùs præſumitur jus aut injuriam remiſiſſe.

REGULA XLVII.

1. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.*

2. Hanc Regulam exornant Menochius. *De interdictis. remed. 16. recuperand. poſſeſſ n. 28. & de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 23. n. 51.* Maſcardus. *de Probation. concl. 879.* Surdus. *deciſ. 221.* Cardinal. Tuſchus, *Pract. concl. tom. IV. L. J. concl. 23.* Barboſ. *in tract. axiom. jur. uſufreq. Axiom.* 113. *n.* 12. Repetantur ea, quæ diximus ad Regulam: *ignorantia facti, &c.* Ratio eſt, quod ſcientia nobis innata non ſit, ſed extrinſe-

trinſecùs accedat. Proinde alleganti incumbit probatio ſcientiæ, niſi de eo quæſtio verreretur, quod publicè factum eſt. *arg. cap. fin. Qui matrim. accuſare poſ.* vel proprium factum concernit. *L. quanquam. ff. ad S.C. velleian.* vel ex officio incumbebat. Quò ſpectat illud Gregorij *cap. innotuit. de election. non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit & paſtor neſcit* His enim caſibus non ignorantia, ſed ſcientia præſumitur adeóque ignorantia probanda eſt ſaltem per juramentum, cùm in animo conſiſtat. *cap. nulli. de election. in 6.* Alioquin ſatis ignorantia dicitur probata eo ipſo, quòd non probetur ſcientia. Menoch. *remed. 16. recuper. n 28.* Maſcard. *concl, 830. n. 3.*

3. Hæc Regula locum habet etiam in judiciis. Nam tempus decem dierum appellationi præfixum currit non à die prolatæ ſententiæ, ſed à die, quo is, qui ſuccubuit, ſcivit illam contra ſe latam eſſe. Gail. 1. *obſerv. 139. n. 7. & ſeqq.*

4. Obſervandum tamen, quòd ignorantiæ præſumptio nihil operetur, niſi ignorantia in judicio allegetur. Nam & in ſimili, licet notorium relevet ab onere probandi, non relevat tamen ab onere allegandi, tam in Reo, quàm in actore, & ubicùnque dicimus præſumi bonam ſidem, intelligitur; ſi modo ea allegetur & in judicio proponatur. vide fuſiùs Peck. *hìc ſub n. 4.*

5. DICES. In plerîsque caſibus, ut in collatione beneficiorum *cap. ſtatutum. de præbend. in 6.* & in retractu, tempus currit ignoranti. ergò. ℞. vel tempus ſtatuitur in merum favorem alicujus, vel in odium negligentis. Si primum; tunc indubitatè tempùs illicò currit ignoranti. *d. c. ſtatutum.* ſicut & in retractu, ubi tempus anni & diei datum, appoſitum eſt in favorem ipſius conſanguinei, ut ſcil. poſſit intrà annum & diem, rem venditam retrahere, quòd nullatenus aliàs ei de jure communi licebat. Si verò in odium negligentiæ tempus ſtatutum ſit, ſanè non currit ignoranti, ne quis citra culpam puniatur aut gravetur.

REGULA XLVIII.

1. *Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel damno.*

2. Etenim ut habet *l. 206. ff. h. t. jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.* Unde paria dixêre veteres; dolum committere & cum aliena jactura locupletari. Quod ſi quis hanc naturæ legem contemnere velit; adverſus cum varijs modis providetur, & ordinaria via eſt teſte Alciato apud Peck. *hìc,* ut ſi in aliquam contractûs ſpeciem ea res incidat,

actio-

actione ex eo contractu, & adverſus excipientem, replicatione doli, lex conſulat: ſi verò in ordinariam contractûs ſpeciem non cadat, puta, quia contractus ille à jure nomen non habet; condictione regulariter agendum ſit. Cæterùm, is locupletior fieri dicitur, qui cum alterius jactura aliquid acquirit, qui ſe ſuáque per res alterius defendit; quíque ſe ab obligatione alterius liberavit, vel è contra aliùm ſibi obligavit.

3. Exemplum habes ex dictis ſuperiori Regula. Hæres enim ex delicto defuncti in quantùm ad ipſum pervenit, rectè convenitur, ne ut inquit. *lex unic. C. ne ex delict. defunct.* alieno ſcelere diteſcat hæres.

4. Locum habet Regula *1.* in pupillis & minoribus, qui contra emptionem aut contractum in integrum reſtituti, fructus ex re empta perceptos reſtituere tenentur, ne locupletiores exiſtant cum aliena jactura. *2.* in Eccleſia. *3.* in Republica, aut fiſco. vide prolixius Peck. *hìc n. 3.*

5. Aſt huic Regulæ objicitur *1mò.* Uſucapio ſive præſcriptio, quâ quis rei ſuæ dominium amittit, & præſcribenti applicatur. *2dò.* Bonorum publicatio in Reo Majeſtatis, quæ & cum jactura filiorum etiam inſontium fit. *3tiò.* Id quod reſpondit J. C. *in l. cùm putarem. 36. ff. famil. herciſc.* Eum qui ex ſententia judicis ad diviſionem hæreditatis admiſſus eſt, cùm reverà hæres non eſſet, ad reſtituendam partem non teneri.

6. Quod ad duo priora argumenta de uſucapione & publicatione bonorum attinet. ℞. utrúmque boni publici causâ receptum eſſe, uſucapionem quidem, ne rerum dominia in incerto vagarentur, & ut aliquis litium finis eſſet Zoëſ. *ad tit. d. præſcript.* Bonorum verò publicationem; ut materia ſubtrahatur filijs idem ſcelus paternum repetendi & committendi. quia alioquin ſolent eſſe imitatores paterni criminis. Ad *3:* ℞. hoc ideo procedere, quòd ſententia judicis, à qua non appellatum pro veritate habeatur. Si tamen poſteà doceatur, ex falſis inſtrumentis vel teſtibus, ſententiam latam fuiſſe, per in integrum reſtitutionem vero hæredi conſulitur. *tot. tit. C. ſi ex falſis inſtrum.*

REGULA XLIX.

1. *In pœnis benignor interpretatio facienda eſt.*

2. Adſtipulatur Paulus J. C. *in l. factum. §. fin. in pænalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt.* Intellige autem, quando obſcurum eſt, quæ pæna delinquenti infligenda ſit durior an lenior, cùm in dubijs

ſemper leniora præferenda ſint, & *interpretatione legum, pænæ molliendæ ſint potiùs, quàm exaſperandæ. l. 43. ff. de pœnis.* Ubi enim certa à jure pæna præſcripta eſt, non eſt regulariter licitum ab ea recedere. Nec enim in certis ullus conjecturæ aut interpretationi locus eſt. *L. 137. §. 2. in fin. ff. de V. O.* quanquam ſi cauſa ſubſit, lex permittat judici à ſtatuta pæna diſcedere, eam vel minuendo vel augendo per *text in l. quid ergò* 13 §. *pæna gravior. ff. de his qui not. infam.*

3. Ex hac Regula ſequitur, quòd ſi varijs pænis idem delictum leges perſequantur, mitiorem amplecti oporteat. text. *in cap. ſi quis dederit in V. humaniùs IV. q. 1.*

4. Quid autem, ſi nulla pæna in delinquentem jure ſtatuta ſit, ánne ſimilis delicti pæna in hunc traduci poterit? ℞. minimè, ſed pæna arbitrio & humanitate judicis conſtituetur, niſi viva & expreſſa ratio dictaret, delinquentem eadem pænâ coërcendum eſſe: nam hoc caſu pæna unius delicti ad aliud rectè producitur.

5. OPPONES. Contrà Regulam. Licet canones permittant, ut, ſi condemnatus, ſententiæ non paret, eámque contemnit, poſſit eum judex vel excommunicare, vel miſſionem in bona decernere; monent tamen judicem, ut eam viam ſequatur non quæ lenior & benignior eſt, ſed eam, quæ gravior eſt condemnato, & quam maximè timet. text: *in cap. quoniam. §. fin. Ut lite non conteſtata, &c.* ergò, &c. ℞. quòd commodo, reſpectu & conſideratione animæ, quæ longè pretioſiſſima eſt, tutiùs ſit in duriorem partem omnia ejusmodi interpretari, ſeveriorémque pænam minari, ut ſic fortè ovis erratica ad gremium Eccleſiæ unde excidiſſe potuit, redeat, ſalutíque propriæ conſulat. Felin. *in cap. fin. de præſumpt.*

REGULA L.

1. *Actus legitimi non recipiunt conditionem, neque diem.*

2. Deſumitur *ex l. actus legitimi. ff. h. t.* exornant illam Roman. *Conſil. 403. n. 19. & 20.* Cardin. Tuſchus. *tom. 1. lit. A. concluſ.* 129. Barboſ. tum *hic in Collectaneis*, tum *in tract: de Axiom: jur. uſufreq: Axiom. 12. n. 13.*

3. Actum legitimum vocamus, qui à lege vel introductus eſt, ut ſunt hæredis inſtitutio, adoptio, emancipatio, hæreditatis aditio, &c. vel à lege certam formam accepit; veluti ſtipulatio. Vel denique à lege approbatus eſt, ut emptio, venditio, locatio, alíique contractus juris gentium. Equidem non omnes hi actus, hac Regulâ noſtrâ comprehenduntur, ſiquidem maxima eorum pars conditionem & diem

reci-

piunt. Quare Caniſius putat, hanc Regulam accommodandam eſſe ad illam, quam Papinianus poſuit *in d. l. actus legitimi*, & ſic ſonat: *Actus legitimi qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris; in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem, nonnunquam tamen actus ſuprascripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehenſa vitium adferunt.* Caniſium præceſſit Dynus, & hunc Corrâſius *ad l. ſervitutes. n. 18. ff. de ſervitut.* Volúntque Regulæ noſtræ generalitatem ad caſus in reſponſo Papiniani expreſſos reſtringendam eſſe, verùm hæc ſolutio ac conſideratio, nulla ratione defendi poteſt, tametſi magnos habeat patronos. Quandoquidem in confeſſo ſit, multò plures caſus eſſe, qui non recipiunt diem aut conditionem præter illos inibi expreſſos. & certè non reſtrictionis, ſed duntaxat exempli cauſâ poſiti ſunt, quæ exempla, legem non coarctant. Nam & Collatio, & reſignatio beneficiorum, exhæredatio liberorum &c. non ſuſtinent conditiones. Verior itaque videtur Covarruviæ explicatio *in 4. Decret. c. 3. 2dæ part. n. 2.* dum ait; hanc Regulam intelligendam eſſe non ſolùm de actibus in *d. l.* expreſſis, ſed de omnibus actibus ad hoc inſtitutis, ut ſtatim ex eis effectus aliquis purus ſequeretur; quibus proinde refragaretur conditionis, vel diei adjectio, & veluti contra ipſorum ſubſtantiam eſſet, cùm à lege introducti ſint, ut ſtatim ſortiantur effectum, prout emancipatio à lege introducta, ut ſtatim quis à patria poteſtate liberetur, pendente autem conditione non poſſet eſſe liber. Sic & tutoris datio, quæ à judice fit, ideo inventa, ut ſtatim ſuccurratur pupillo, ejúſque rebus, qui effectus impediretur per conditionis appoſitionem. In eandem ſententiam acceſſit Alciatus *Parergon juris. lib. 3. cap. 8.* dum vult, pro Regula conſtituendum eſſe, quòd illi actus, qui à præſenti executione nomen habent, neque diem neque conditionem ferant, quoniam dies vel conditio nomini ipſius actûs, executioníque illius repugnant.

4. Peckius *hic n. 3* contendit; quòd actus legitimi non recipiant diem néque conditionem, etiam quæ improprie talis appellatur, cujuſmodi eſt conditio, quæ concipitur non in futurum, ſed in tempus præſens vel præteritum. Sed contrarium probabilius tenet Barboſ. *in Coll. hîc n 14.* Ratio: quòd conditio de præterito ſeu de præſenti non pendeat ex dubio rei eventu, ſed ſtatim de præſenti, & à parte rei certa ſit.

5. DICES cum Peck. Aditio hæreditatis, quam conſtat eſſe actum legitimum, non ſuſtinetur, imò vitiatur appoſitâ conditione de præſenti, nempe ſi hæres dicat; adeo hæreditatem, ſi eſt ſolvendo.

textus

textus *in l. cùm ad præſens. ff. Si cert. pet. & in l. qui hæredi.* §. 1. *ff. De acquir. hæred.* ℞. quod prædicta conditio licet quò ad figuram verborum videatur de præſenti; reſolvatur tamen in conditionem de futuro ex mente adeuntis, qui cùm poſſit deliberare an velit adire *ex l. 1. & tot. tit. ff. & C. De jure deliber.* non tamen aliter vult adire, quàm ſub prædicta conditione, quæ in effectu in illam reſolvitur, ſi poſtea apparuerit, quòd hæreditas, quo ad omnia debita, ſit ſolvendo. Vide Barboſ. *l. cit. n. 15.*

6. Hîc Nota, hanc noſtram Regulam ſimiliter non procedere in conditione etiam de futuro, quæ tamen inſit ex natura rei, vel actûs, de quo agitur. Unde fit, ut licet tutoris datio, actus legitimus ſit, & appoſitâ conditione vitietur ex ante dictis; poſſit tamen ſub conditione celebrari: *ſi ſatiſdederit.* Eò quòd talis conditio, jam tacitè à jure inſit. *l.* 1. *& 2. C. De tutor. vel curat.* hinc etiam fit, ut collatio beneficij fieri poſſit ſub conditione, *ſi vacet.* cùm & hæc tacitè & intrinſecè inſit à jure.

7. INQUIES. tacita conditio in futurum concepta propriè & verè ſuſpendit actum & effectum. ℞. Diſtinguendo, tacita conditio, quæ ex ipſa rei natura principaliter provenit, propriè & verè ſuſpendit actum N. quæ extrinſecus advenit, nempe ex voluntate diſpenentium. C. inter has ſpecies ea eſt differentia, quòd prior conditio, ſicut tacita non vitiat, ſic nec expreſſa vitiare debeat actum legitimum: poſterior verò; licet tacita non vitiet, vitiet tamen quando exprimitur juxta *text. in l. actus non nunquam.* junctâ *l. expreſſa.* ubi Bronchorſt *in ſæpe cit. commentario. ff. h. t.*

8. AMPLIATUR hæc Regula. Quòd ſicut actus legitimi non recipiunt diem néque conditionem, ita quóque non recipiant disjunctionem. Nam ſi quis electus eſt ad duas dignitates & petat ſe in utráque confirmari, proteſtans, quòd alterâ contentus erit, nihil agit. *cap. ſi quis duas. De elect. in 6.* Quia actus iſte legitimus non admittit incertitudinem.

9. Ex hactenus dictis ſequitur, Sacramenta Baptiſmi pœnitentiæ & Euchariſtiæ conditionem propriè ſuſpenſivam non recipere, ſecundùm S. Antoninum *part. 3. tit. 24. cap: 77.* §. 1. Navarr: *in manuali cap: 26. n.* 12. idem dic de alijs Sacramentis (excepto matrimonio) quorum forma, licet in evangelio non reperiatur expreſſa, eſt tamen de fide ex Trident. *Seſſ. 7. De Sacram. in genere. Can. 1.* omnia à Chriſto domino inſtituta fuiſſe.

10. DIXI: *excepto Matrimonio.* Nam, cùm ſit contractus, perinde pendere poteſt, ac alij. Quare otioſa eſt diſtinctio Scoti *in 4. Diſt.*

Diſt. 29. q. 3. art. 1. Covarruviæ, Sanchez Peckij & aliorum aſſerentium conſenſum matrimonialem recipere conditionem, non verò matrimonium. QUIA in omnibus contractibus conditio ita actum ſuſpendit ſicut conſenſum; néque enim aliter vult ille, qui conditionem adjicit, quàm ſi illa adimpleatur.

11. Quod ſi Sacerdos in abſolutione Sacramentali, pœnitentiam injungat per modum conditionis; veluti ſi dicat: *Ego te abſolvo, ſi jejunaveris tot diebus, ſi reſtitueris, &c.* Quod attinet ad valorem abſolutionis, ſic diſtinguendum eſt. Vel enim profert talia verba in vim exhortationis & monitionis tantùm, abſque hoc quòd intendat abſolutionem ſuſpendere: vel profert prædicta verba in vim propriæ conditionis, ita ut non aliter intendat abſolvere, quàm ſi pænitens hoc vel illud præſtiterit, priori caſu manebit abſolutus, ſi tempore abſolutionis habebat ſatisfaciendi votum, quantumvis poſtea non ſatisfaciat: poſteriori verò caſu, abſolutio non valebit propter conditionis adjectionem, quam non recipit, cùm ſit actus legitimus. Gircken & DD. communiter. *in tract: de pœnitentia.*

12. OPPONES contra Regulam. Tutela teſtamentaria eſt actus legitimus, & tamen poteſt fieri ſub conditione. *L ſi quis. ff. de Teſtam. tutel.* ℞. quòd tutela non à judice, ſed à patre tantùm ſub conditione decerni poſſit, & hoc ideo, quia, quando teſtator ſub condirione ſcribit tutorem, interim pendente conditione vel die alium dat judex, qui ſupplet defectum patris defuncti. Aſt cùm judicis defectus non ſuppleatur, niſi à ſuperiore, & nemo tutorem tunc det niſi judex; ſequeretur interim pendente die vel conditione bona pupilli medio tempote diſcrimini expoſita eſſe, quod jura nolunt.

REGULA LI.

1. *Semel DEO dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.*

2. Ad comprobandam hanc Regulam juvat. *text: in c: quæ ſemel* 19. *q. 3. & in c. ligna, & in c. veſtimenta. de conſecrat: diſt:* 1: *& in cap: mancipia. de rer: permut:*

3. DEO autem dicata dicuntur ædes ſacræ, altaria, cœmiteria divino cultui vel religioni conſecrata, quæ idcirco humano commercio exempta ſunt, adeò, ut nequidem ligna Eccleſiæ dirutæ vel collapſæ in uſum Laicorum transferri poſſint, ſed vel alteri Eccleſiæ aut Monaſterio applicanda, vel igne exurenda ſint. *d. can. ligna.* Continentur & hac Regula Monaſteria & hoſpitalia, Epiſcopi authoritate

erecta;

erecta. *d. Can. quæ ſemel.* nec non calices, patenæ, veſtes, libri aliàque inſtrumenta Eccleſiaſtica, imò & prædia, vineæ & reliquæ res Eccleſiæ quæ DEO conſecratæ dicuntur. *C: nulli liceat c. prædia:* 12. *q.* 2.

4. Ex hoc textu infert D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art:* 11. non poſſe Papam diſpenſare cum Monacho profeſſo, ut contrahat Matrimonium. Idem opinatur Sotus. *De juſtit: & jure lib:* 8. *q.* 4. *art:* 2. & alij quos citat Barbos. *in Collectaneis in cap: cum ad Monaſterium n.* 12. *De ſtatu Monach:* ubi tamen *num:* 13. contrariam opinionem ſequitur, multis ad id adductus rationibus & authoritatibus, vide etiam Peck. *hic num:* 2. ubi dicit, quòd Papa, non niſi ex urgentiſſima cauſa ſalutis publicæ permittere poſſit, ut Monachus duceret uxorem, quod tamen ſemel deficiente ſtirpe Regiâ, Gallorum Regi conceſſum fuiſſe fusè tradit Joan: Andr: *ad hanc Reg:*

5. Ex hac Regula profluit, quòd licet aliàs præſcriptio centum annorum currat contra Eccleſiam Romanam, & præſcriptio 40. annorum contra alias Eccleſias, in rebus Eccleſiarum temporalibus, quales ſunt fundi, agri, ædes, reditus, &c. res tamen verè DEO ſacratæ, id eſt proximè ad cultum divinum deſtinatæ, ut Eccleſiæ, altaria, &c. præſcribi non poſſint à Laico, §: *ſed aliquando. inſtit: de uſucap:* ne hac via per indirectum transferatur ad uſus humanos, quod per directum non admittitur.

6. OPPONES contra Regulam. 1*mò.* Servi conſecrati lege jubente, domino reſtituuntur. *cap: mancipia. de rer: permut:* 2*dò:* JCtus expreſſis verbis rem ſacram, profanam fieri poſſe reſpondit. *L. continuus* §: *pen:* *ff. de V:* O. ergò.

7. Ad 1*mum* ℞. quòd odio ſervorum, qui inſcijs atque invitis dominis ad Eccleſiam confugerunt, & ſe ordinari fecerunt receptum ſit, ut dominis, quibus fraudem fecerunt, reſtituantur, & ad terrorem aliorum ſervorum caſtigentur, maximè, cùm hi magis dedecori ſint Eccleſiæ, quàm honori. *Gloſſ: in cap. mancipia: cit:* & ibi Hoſtienſis. Ad 2*dum* ℞. juriſconſultum volviſſe, quòd res ſacra fieri poſſit profana, Authoritate Pontificis, idque ex legltima cauſa. Quamvis aliàs ea de jure impoſſibilia dicantur, quæ non niſi Principe concedente fieri poſſunt. vide Peck. affabrè moralizantem ſupra hanc Regulam.

REGULA LII.

1. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.*

2. Exemplum require *ex cap:* 4. & 5. *de deſponſat: impub.* Ubi caſus iſte refertur: Contracta ſunt ſponſalia à Cajo cum puella ſeptennio minore. Poſtea idem Cajus conſenſit in Matrimonium cum matre

ejuſdem

ejuſdem puellæ. Qua de re conſultus Pontifex reſcribit, Matrimonium hoc cum matre initum, non impediri propter ſponſalia præcedentia cum filia; cum ſponſalia ipſo jure, utpote à minore ſeptenio contracta, non conſtiterunt, ac proinde nullam publicæ honeſtatis juſtitiam induxerint, ob quam alias inhibetur Matrimonij contractus. Alterum exemplum juris civilis ſit: ſi quis poſt primum teſtamentum alterum facere cœperit, ſed mortalitate præventûs, aut quia ejus rei eum pœnituerit, id non perfecerit; non ideo infirmantur priores tabulæ, cùm poſteriores effectum non habuerint. §. *ex eo autem inſtit: quib: mod: teſtam: infirm.*

3: Verùm diſtinguendum hîc cum Hoppio. *ad cit:* §: *ex eo vers: id noluerit valere.* Inter voluntatem ſimplicem, ſeu nudis verbis declaratam, & inter voluntatem conjunctam cum facto, ſeu facto aliquo declaratam. illa enim non tollit prius teſtamentum juxta *cit:* §. tum quia illud nudâ voluntate non fuit ordinatum, ut nec per conſequens ita queat abrogari. *Argum: l. 35. de R: I.* Tum quia teſtator revocans, innuere videtur, ſe aliter teſtaturum; quod dum non fecit, in priori voluntate perſeverâſſe, eúmque revocationis præſumitur pœnituiſſe. Itaque iſto caſu, non videtur ſatìs ſeriò teſtamentum tam ſolemniter conditum revocare voluiſſe: alioquin enim, ſi ad manus habuiſſet; incidere id ipſum, cancellare, dilacerare, aut comburere, potuiſſet. Aut ſi non habuiſſet; aliud teſtamentum condere. NEC REFERT; etiamſi coràm actis publicis aut ſeptem teſtibus, hac ratione ſe declaraverit teſtator; adhuc enim non infirmatur prius teſtamentum, niſi præter talem declarationem coram actis, aut teſtibus ad minimum tribus, factam, decennium inſuper à tempore conditi teſtamenti fuerit elapſum. *L. ſancimus 27. C. de teſtam: l. 36.* §. *3. ff. de teſtam: milit.* Carpzov: *lib: 6. Reſp:* 17. *n. 8. & ſeqq:* aut niſi planè novum coram actis aut coram ſeptem teſtibus conditum teſtamentum §. *2. inſtit: quib: mod: teſtam: infirm.* Cæterùm voluntas facto declarata, omnino tollit prius teſtamentum, utpote, ſi teſtator tabulas prioris teſtamenti inciderit, laceraverit. &c. toto *tit: ff. de his quæ in teſtam.* Dummodo tamen id conſultò factum, ſecus enim, ſi inconſultò. *per l. 30. C. de teſtam.*

4. Ut ut hæc de jure ita ſeſe habeant; moribus tamen hodiernis receptum; ſolam revocationem verbalem coram actis aut ſeptem teſtibus factam, ſufficere ad id, ut prius infirmetur teſtamentum, etiamſi non acceſſerit lapſus decenij aut aliud conditum ſit teſtamentum, communiter aſſerunt pragmatici. vide Grænweg. *De LL. abrogat. ad L. 27. C. de teſtam.* Gerard. Maynhardt. *Lib. 3. Deciſ. 23. & lib.*

 5. De-

5. *Deciſ.* 27. Nec ſuâ id deſtitui videtur ratione; cur enim indubitata & expreſſa voluntas coram judice aut teſtibus facta non idem operari deberet, quod facit ſola ſigilli remotio vel cancellatio. Sic in Belgio practicari teſtatur Paulus Voet. *ad d.* §. *ex eo autem.* Hoppius, *loc. cit.*

5. Quocirca, perdit officium ſuum hæc Regula in illis caſibus, in quibus vel ſola voluntas ſufficit ad producendum effectum veluti in legato, quod & ademptum cenſetur priori legatario etiamſi poſterior legatarius talis ſit, in cujus perſona legatum conſiſtere non poſſit. *L. planè 34. in princ. ff. de legat.* 1.

REGULA LIII.

1. *Cui licet quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus.*

2. In eandem ſententiam Ulpiani Regula eſt. *in l. non debet.* 21. *ff. h. t.* Vide omninò, quæ ſupra diximus ad Reg. *plus ſemper.* Ratio eſt, quia ut plurimùm ſinè eo, quod minus eſt, ad id, quod plus eſt perveniri non poteſt. Unde ne id, quod majus eſt, effectu careat, eo conceſſo conceditur quóque, quod minus eſt. Ideóque cui conceſſa eſt poteſtas necandi hominem, illi conceſſum quóque videtur quod minus eſt, videl: ut eundem hominem quæſtionibus ſubjicere aut delicti confeſſionem extorquere poſſit, ſine qua confeſſione juxta mores hodiernos, Reus aut nunquam, aut rariſſimè ad mortem condemnari ſolet.

3. AMPLIATUR hæc Regula etiam ad ea, in quibus qvule quale periculũ alterius verſatur; Marito enim quamvis pauper ſit, dos uxoris auferenda non eſt, etiamſi pro ea dote conſervanda planè ſufficientem cautionem præſtare non poſſit. Quia, cùm ei creditum, ſit corpus uxoris, quod plus eſt, ſatis poteſt ei dos credi, quod minus eſt. *cap. per veſtras. De Donat. inter vir. & uxor.* vide Gail. 2. *obſerv.* 84. *n.* 10.

4. OPPONES contra Regulam. 1*mò.* Si mandatur provideri, alicui de præbenda 100. Aureorum, quod plus eſt, non poteſt illi etiam volenti conferri præbenda 50. Aureorum quod minus eſt. *Cap. cui de non Sacerdotali. De præbend. in* 6. 2*dò.* Mulier poteſt bona ſua alienare, donare & vendere, quod plus eſt, & tamen non poteſt fidejubendo ea alteri obligare, quod minus eſt. *l.* 4. *ad S. C. Vellejan.* Ergò.

5. Ad 1*mùm.* ℞. quòd limites mandati diligenter ſint obſervandi, ejúſque forma plurimùm conſideranda ſit, ſicut & alia certam aliquam

aliquam formam habentia, néque ad alios caſus trahi debeat. Confer Gail. 1. *Obſerv. 35. n. 2. & ſeqq.* jam verò aliud eſt beneficium 100. aliud 50. Aureorum, adeóque, cùm talis differentia inducat notabilem diverſitatem, non poteſt is minus beneficium conferre, cui majus conferre mandatum, præcipuè, cùm Pontifex fortè ideo huic præbendam pingviorem conferri mandaverit, quia ſcivit hunc eſſe virum optimè meritum, & veriſimiliter honeſtæ ſuſtentationi ſuperflua, in uſus pauperum, vel Eccleſiæ impenſurum. Ad 2*dùm* ℞. hoc ideo eſſe, ut mulierum levitati & imprudentiæ occuratur, quæ facilè induci ſolent, ut hanc operam ſuam præſtent, eo quòd nihil ea res præſentis habeat damni vel incommodi, ſicut venditio aut donatio; ignorantes illud antiquum Chilonis dictum, ſponſionis comitem eſſe pœnitentiam.

REGULA LIV.

1. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.*

2. Deſumitur *ex l. qui balneum. in princ: & ex l. potior. ff. qui potior: in pign: habeantur. l. diſtractis. cum ſeqq. C. De pignorib.* Exornant illam Rebuffus *tom. II. Ad leges Galliæ. tit. De conſtit. redituum. Gloſſ. 8.* Surdus *De alimentis, tit. 1. q. 94. n. 15. & Deciſion. 255. n. 1.* latè Cardin: Tuſchus *pract: concl: Tom: VI. lit: P. concluſ: 465.* Barboſ: *in tract: Axiom: jur: uſu freq: Axiom: 184.* ubi dicit, hanc Regulam procedere, etiamſi prioritas ſit in hora & in puncto.

3. Ex hinc ritè deducitur, quòd illi Religioſi *cæteris paribus* debeant præcedere in proceſſionibus & alijs actibus publicis, qui prius fuerint recepti in civitatem, ut eorum contentio evitetur, qui curioſè inter ſe altercantur, quis eorum major habendus. Dixi: *cæteris paribus*, quia valde hallucinantur, qui arbitrantur ſolam materialem prioritatem receptionis & habitationis in loco, normam eſſe metiendi præcedentias. Si quidem hac in re præprimis penſitanda ſunt ſpecialia privilegia ſummorum Pontificum uni vel alteri Monaſteriorum inter quæ lis eſt conceſſa. Hæc enim indubitanter jus tribuunt, & Generalibus prærogativis toti alicui ordini conceſſis præponderant. Dein; eo vertenda eſt cogitatio, quodnam Monaſterium ſit in poſſeſſione præcedendi? Nam Teſte Proſpero Fagnano *in cap: cum certum. De majorit: & obedient: n. 16.* Conſvetudo attendi debet in deferenda præcedentia, etiamſi repugnet juri communi. Quod ſi de poſſeſſione præcedentiæ non conſtet; tum demùm confugitur ad prioritatem in loco. Hoc modo &

 hac

hac norma, per Conſtitutionem Gregorij XIII. (qui S. Pio V. immediate ſucceſſit) *incip: expoſcit: edit: 15. Julij 1583.* perpetuò nunc judicantur cauſæ controverſæ præcedentiarum inter mendicantes. Si mihi non credis; credas Proſpero Fagnano *loc: cit:* ubi poſtquàm locutus eſt de quibuſdam conſtitutionibus Pij V. *n: 22.* hæc habet: Rurſus delata ad S. Congregationem Concilij, controverſia de præcedentia inter Dominicanos, Franciſcanos, Auguſtianos & Carmelitanos, ſumptæ fuerunt informationes, & repertum, conſvetudinem ita *inolevisse, & obſervatum ſemper fuiſſe*, ut ea Religio, quæ priùs in loco habuit Monaſterium, illa præcedat: quam conſvetudinem ſanctiſſimus juſſit *obſervari, & nihil innovari:* & ſecundùm hoc, edita fuit poſtea Conſtitutio ab eodem Gregorio XIII. *incip. expoſcit. 15. Iulij 1583.* quâ definitum eſt, quòd inter fratres Mendicantes, nec non inter confraternitates Chriſti fidelium in proceſſionibus tam publicis, quàm privatis ij præcedere debeant, qui ſunt in *quaſi poſſeſſione præcedentiæ.* Quod ſi de quaſi poſſeſſione præcedentiæ non conſtet, inter fratres quidem Mendicantes præcedere debeant ij, qui antiquiores in loco controverſiæ fuerint. Conſonat Cardin: De Luca. *De Præeminentijs &c. Diſcurſu 30. n. 4.* Ubi generatim, docet, conſvetudini deferendum in materia præcedentiæ.

4. Ex hac Regula infertur etiam, quòd Advocatus, qui à duobus dominis ſtipendium annuum habet; Si contingat illos inter ſe litigare; debeat ſervire priori. Roman: *Conſil: 47.* & qui operas, ſuas locavit duobus; priori eas prius præſtare debeat. *l. in ope: ff. locati.*

5. Hinc quóque, ſi is, qui duos equos habet, unum leget Titio, alterum Sejo; Titius meliorem habebit, quia primo loco nominatus eſt. *l. qui duos. ff De legat.* 1. hinc etiam dici poſſe arbitror, quòd ſi teſtator fundando Burſam aliquam, ita dicat: Si nemo de ſangvine meo eam petierit, vel idoneus fuerit, volo eam conferri alicui Aquenſi vel Colonienſi: Cæteris paribus præferri debeat, Aquenſis tanquam primo loco deſignatus. Quia ordo nominationis, demonſtrat ordinem affectûs & charitatis. Immola & alij *ad L. qui ſolvendo ff. De hæred: inſtit:* & ex ordine nominationis præſumitur atque colligitur voluntas diſponentis. *l. hæredes, §. fin: ff. ad Trebel.*

Trebel: Quomodo & Felin: *in cap: cum dilecta. De reſcript:* Baldum ſecutus reſpondet, quòd, quando pluribus nominatis, res non poteſt competere niſi uni, competat primò nominato, *l. generaliter. §. ſi quidem, ff. De fidei commiſſ: libertatib:*

6. Cæterùm ex inſtrumentis obligatorijs aut ſimilibus, commodiſſimè apparebit, quis prior ſit? Quod ſi plures reperiantur ſcripturæ ejuſdem diei, nec appareat, quæ prior fuerit, tempore; etiam horâ? Melior erit conditio poſſidentis & Rei conventi, quia non curatur de jure poſſeſſoris, ſi non conſtet de jure petitoris, *l. fin: C. De rei Vindic:* niſi per agentem probetur prioritas temporis, fortè ex libro Notarij, in quo ſuum inſtrumentum ſit priùs deſcriptum, ut ſic primus in ordine ſcripturæ dicatur prior & potior in tempore. Gail: *2. Obſer: 25. n. 3. & 9.* à quo tamen excipitur cauſa privilegiata, Dotis, Studiorum, & ſi quæ alia his ſit ſimilis, quæ præſumitur in dubio præceſſiſſe, ſi contrarium non appareat. Decius *ad l. in ambiguis, ff. h. t.* Vide Gail: *2. obſev: 81. n. 6.*

7. Uſus hujus Regulæ potiſſimùm materiæ beneficiorum, pignorum ſeu hypothecarum ſubſervit, & quidem, quod beneficia attinet, Regula eſt; quòd, qui priùs reſcriptum ad illa impetravit; reliquis præferri debeat. *Cap: ſi duobus. Cap: ſi pro te. Cap: ſi tibi. De reſcript: in 6.* Quia in ſecundo reſcripto ſemper intelligitur hæc clauſula: *ſi pro alio non ſcripſerimus.* Nam in dubio, intentio Pontificis non eſt, ut velit jus præſitum, alteri auferre. *Cap: ad aures. Cap: mandatum. De reſcript:* Quis prior in pignore aut hypotheca habeatur; *vide tit: ff. & Cod: qui potior: in pignore habentur*, & ibi DD. pro praxi Moraviæ inſpice Ferdinandæum Cridæ proceſſum.

REGULA LV.

1. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum & è contra.*

2. Ratio eſt, quia niſi onus impoſitum, ſpe aliqua lucri compenſaretur; nemo proximo ſuo facilè adeſſet, aut beneficium præſtaret, omnes enim inquit Cicero movemur utilitate.

3. Regula hæc bimembris eſt, ſeu potiùs duo in ſe continet axiomata, primum eſt: qui ſentit onus, ſentire debet commodum. Alterum; qui ſentit commodum, ſentire debet onus. Prius ad naturalem æquitatem Paulus revocat. *Secundùm naturam eſt* (iuquit) *commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda, l. ſecundùm naturam, ff. h. t.* ſed néque aliud à ratione naturali alienum eſt. *Non enim ferendus eſt* (inquit Juſtinianus) *qui lucrum quidem*

quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. l. unic: §. pro ſecundo, in fin: C. De Caducit: tollend: ex hìs duobus profluit & tertium: *qui non ſentit onus, non debet ſentire lucrum.*

4. Primum axioma, ſeu præſens Regula ampliatur, ut propter ejus æquitatem cogamur recedere à Regulis juris communis. Regula enim communis eſt, quòd res quæ perit, domino ſuo pereat. *l. pignus, C. De pignorat: act:* & tamen emptor ante traditionem, per quam ſolam, dominium transfertur, rei venditæ periculum ſuſtinet. *l. 1. C. De periculo rei vendit.* eíque perit, non aliâ quidem ratione, quàm, quòd omne illius commodum percipiat, etiam ante factam traditionem. *§. cùm autem. inſtit: De empt: & vendit:*

5. Aliud axioma: qui ſentit commodum vel lucrum, ſentire debet onus, exemplificatur in habentibus beneficia in Eccleſia. Debent enim contribuere ad illius reparationem, ſi decimæ vel quarta redituum portio, huic rei deputata, non ſufficiat. *cap. 1. De Eccleſijs ædific.* & egregiè Peckius *De reparand: Eccleſ: cap: 20. per tot.* hinc & ſi executor teſtamenti legatum ſibi relictum acceptavit, officio executoris renunciare non poteſt, ne alioquin, ſi alirer dicamus, nullius ſatisfieret defuncti voluntati, eſſétque ſtrata fraudibus via. Eleganter itáque non minùs, ac lepidè reſponderunt Joan: Andreas & Immola *ad cap: aures. De reb: Eccleſiæ non alien:* quòd onus ſinè aſpiratione ſcribatur, quia nullus ad id aſpirat, honor verò cum aſpiratione, quia omnes ad illum aſpirant.

REGULA LVI.

1. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.*

2. Deſumitur *ex l. Sabinus. ff. communi Dividundo l. in concedendo. ff. De aqua pluvia arcend.* vide quæ diximus ad Reg: *quod omnes 29.*

3. Sicut magnas ſecum trahit utilitates ſocietas; ita quóqve ſuas incommoditates é contrario habet. Quia in re communi ſocio vetante, nonpoteſt ſocius ut vult agere, & hinc invito ſocio perſonam aliquam rixoſam vel inhoneſtam in commune cubiculum inducere non licet. Carot: *tract: locat: tit: De ſublocat: q. 1. n. 7. & q. 6. ſub: n. 6.* & ſi aliqua Arx duobus fratribus communis ſit, & alter ex eis partem ſuam fortè ad æmulationem fratris ſui, potentiori alicui Principi venderet; hæc venditio per fratrem prohibentem ſubverti poſſet vide Gail. *2. obſ: 69. n. 22.* Menoch. *lib. 2. Arbitr. jud. 156. n. 7.* Nullóque modo, Domino agri fructus ſuos, prohibente

bente eo cui decimæ debentur, & ante quam illas collegerit, invehere permiſſum eſt. Speculat. *De Decimis. Columm. ult.*

4. Ex hac Regula quóque reſultat, quòd, ſi ſocius contra prohibitionem alterius quidquam impenderit, non habeat actionem repetendi ab eo, qui prohibuit. *Arg. l. fin. C. De negot. geſtis.* etiamſi ejus conditio melior facta ſit, & ſi damnum aliquod ex eo emergat; ſolus iſtud ſuſtineat, qui quid altero prohibente fecit.

5. Hæc autem prohibitio *facti* eſt, & ideo non præſumitur niſi probetur. Speculat. *De probat. verſ. quid ſi judex.* §. 1. ſítque hîc non abſque cauſa, expreſſa mentio prohibitionis. Quia qui ſcit & patitur, nec contradicit, mandare & permittere videtur. *l. qui patitur. ff. Mandati.* Vide Caniſ: *hoc loco.*

6. Extenditur hæc Regula, ut etiam unus ſocius poſſit prohibere majorem partem ſociorum. Quod tamen ſub limitationibus ad Reg. *quod omnes* cit. Adductis intelligendum. Quin & prohibitio ſocij poſſidentis tantùm operatur, ut vim facere videatur, qui venit contra eandem. *l. 1. §. quid ſi vi aut clam.*

7. DICES. unus ſociorum, alijs prohibentibus poteſt mortuum in locum communem inferre. *l. ſi plures. ff. De Relig. & ſumpt. funer.* Ergò. ℟. illo caſu ſocium re uti voluiſſe ad uſum proprium & naturalem, quod refragantibus ſocijs poteſt. Sicut à pari: Si domus communis locari ſolet, & unus ex ſocijs locare nolit, præfertur voluntas locantis, utpote ejus, qui vult uti domo ad uſum deſtinatum, quod & de ſylva cædua, quam alter Sociorum vult, alter renuit cædere, alijſque multis ſimilibus egregiè tradit Gail. *De Pignorib: Obſerv: 20. n. 9.*

REGULA LVII.

1. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt facienda interpretatio.*

2. Ratio eſt, quia is, qui verba protulit, mentem intentionémque ſuam ex illis ſive agat ſive excipiat probare debet. *l. 2. De probat:* probatio verò debet eſſe clara & concludens, quia ſermo ambiguus non probat, & probatio dubia non relevat. Gail. *2. obſerv. 13. n. 14. & ſeqq: & obſerv: 22. n. 3.* Maſcard. *De probat: Concluſ: 1363.* & ideo ſibi meritò imputare debet, qui expreſſiùs non eſt locutus. Dein; certum eſt volentibus litigare & altercari non fore favendum. Quare Baldus *ad l. veteribus. ff. De pactis.* hanc Regulam contra verſutos, callidos & fraudulentos homines, qui

 pro-

proximum ſub ambigua atque obſcura pacti conventi lege, capere nituntur, adeóque digni ſunt, ut in foveam incidant, quam alijs ſtruxerunt, editam monet, ut ſcil: ubicúnque naſcitur obſcuritas, adverſus eos fiat interpretatio.

3. DICES. in privilegijs à Principe conceſſis non fit interpretatio contra Principem, qui verba privilegij ſcripſit, ſed propriæ ejus interpretationi, ſi qua in verbis naſcatur dubitatio, ſtandum eſt, ut aut quid voluerit, aut quem eſſe modum ſui beneficij velit, liberè dicat & declaret. *cap. cum Eccleſiaſticæ. De except.* ℟. Cùm Principis voluntas talis eſſe præſumatur, qualis de jure eſſe debet: veriſimile ſanè eſt, quòd adversùs æquitatem & juſtitiam nihil ſit declaraturus. Aliud verò eſſet, ſi cuivis particulari crederetur, qui legem ſeu pactum dicere aut exprimere potuit apertiùs, hic enim ſæpè pro ſua malitia, quod vellet diceret, ut judicium illuderet.

4. DICES 2dò. Si quis Calendis Januarij quid ſibi dari ſtipuletur, nec addat quibus Calendis Januarij, primis ſcil. vel ſecundis; quamvis hoc expreſſiùs dicere potuiſſet, tamen fit pro eo interpretatio, ut intelligatur de primis Calendis cogitaſſe. *l. cum Calendis. ff. De V. O.* ℟. quòd Regula noſtra locum non habeat, quando alioquin actus vitiaretur. Semper enim interpretatio fieri debet, ut actus potiùs valeat, quàm pereat. Atqui ſi interpretatio fieret contra ſtipulatorem, actus periret, quia ſemper diceret promiſſor: intellexi de alijs Calendis, & ſic ad Calendas græcas remitteretur ſolutio, propterea hoc in caſu favendum actori.

5. Porrò; quanquam Regulariter facienda ſit interpretatio contra eum, in cujus utilitatem verba appoſita, aut qui explicatiùs loqui potuit; hoc tamen fallit, quando apparet de mente ejus, qui verba protulit, vel expreſsè vel tacitè, vel etiam per conjecturas, ut ſic veritati cedat præſumptio, & id præferatur, quod reverà actum, non quod in contrarium colligitur, itaque, prius quid actum ſit, quidve veriſimilius ſit actum fuiſſe, ut res in tuto ſit, conſiderandum, eóque non apparente, ad Regulæ noſtræ ſubſidium recurrendum.

REGULA LVIII.

1. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.*

2. Exornant hanc Regulam Gutier. *De juram: confirm: p. 1. c. 40. n. 10.*

n. 10. & 17. Cardin. Tuſch. *pract: Concluſ: tom: IV. lit: I. Concluſ: 511. n. 29.* Azor *inſtit: moral: part: 1. lib: 11. c. 6.* Leſſius. *De juſt: & jure. lib: 2. cap: 17. Dubit. 7. n. 5.* Zoëſius *ad tit: De jure jur: n. 50. & ſeqq.*

3. Ratio eſt. Quia jurisjurandi religio ad hoc inventa eſt, ne mendacio falleretur proximus, ne ſecus, quàm ex fide, ſeu conſcientia, dicerent teſtes. Ne ſecùs pronunciarent judices. Quod autem introductum ad religionem, non debet eſſe vinculum iniquitatis, ideóque, ut juramentum licitum ſit tres comites habere debet, veritatem, judicium & juſtitiam. Vide Zoëſ. *ad tit: De jure jur:* Gail. *1. obſerv: 22. n. 2. & obſerv: 147. n. 2.*

4. Juramentum contra bonos mores illud eſſe intelligitur, quod contra æquitatem naturalem, honeſtatémque præſtitum fuit, & de illo dicit *canon: Magnæ. XXII. q. 4. Magnæ ſapientiæ eſt hominem revocare id, quod ſemel perperam & malè locutus eſt.* Unde ex Iſidoro reſpondet Gratianus *Can: in malis. ibid: in malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum: impia eſt promiſſio quæ ſcelere adimpletur.* Confer Gail. *1. P.P. 4. n. 11. & 1. obſerv: 25. n. 5.* Cæterùm ſi boni mores tantùm civiles ſint, id eſt à jure civili introducti, nihil impedit contrarium his, juramento confirmari poſſe, ut videre eſt in renunciatione hæreditatis paternæ, in alienatione dotis, quæ licèt jure civili prohibita ſint; juramento tamen confirmantur, & obligationem inducunt. Vide Leſſium *loc: cit:*

5. Quæſtio eſt, an juramentum contra bonos mores præſtitum ita ſit ipſo jure nullum, ut nullâ ab eo abſolutione opus ſit? Quidam affirmant, ex ratione, quòd abſolutio præſupponat vinculum, cujuſmodi hîc nullum apparet. At alij contra ſentiunt, quippe, quòd, qui juravit non colloqui cum patre, nec illi ſubſidium ferre egeat abſolutione. *Cap: cum quidam. in fin: De jur: jur:* & quando quis jurat non revocare teſtamentum; eſt utíque hoc contra bonos mores, & tamen contraveniens ei, dicitur perjurus, niſi abſolutus ſit. *Cap: ſicut. c. ex literis. De ſponſalib:*

6. Ante Reſolutionem obſerva *ex Can: Innocens XXII. q. 4.* & Zoëſ. *ad tit: cit:* Quòd juramentum vel ex modo jurandi, vel ex cauſa extrinſeca ad juramentum accedente, vel denique ex eo, quod juratur illicitum ſit, hoc præmiſſo.

7. DICO: Si ex adimpletione juramenti reſultet vel manifeſtum peccatum, ut ſi quis juravit hominem occidere, adulterium committere, aut aliter delinquere, vel id, quod eſt contra dilectionem proximi facere, ut ſi quis juravit, quòd pro nemine fidejuſſurus, etiam ſi proximus in evidenti vitæ vel famæ periculo ver

 ſare-

ſaretur; juramentum hujuſmodi ita ipſo jure nullum eſt, ut abſolutione non egeat. Idem dic, ſi canones planè reſiſtant juramento. Vide Gail. *1. obſerv. 22. n. 7. & obſerv. 25. n. 5.* Gutier. *De juramento. part. 1. cap. 71. n. 5. & ſeqq.* Aſt ſi juramentum poſſit ſervari ſinè diſpendio ſalutis æternæ, eſt tamen temerarium, periculoſum, vel exemplo pernicioſum, abſolutione opus eſt, nec debet quis propriâ authoritate contravenire *cap. quanto. De jure jur.* idémque eſt, ſi ſit dubium, vel ſi inducat peccatum non manifeſtum, aliquo tamen caſu excuſabile, veluti, cùm filius jurat non loqui patri, quia non jurat rem ſemper & omninò enormem.

8. AMPLIATUR hæc Regula, ut locum habeat, non ſolùm in juramento, quod ab initio eſt contra bonos mores, ſed etiam in eo, quod à principio licitum fuit, ſed poſtea ex accidenti fieret contra bonos mores ſi ſervaretur. Ut Ecce, ſi quis juravit, quòd nunquam futurus ſit negotiator, quòd nunquam accepturus ſit mutuum, quòd gladium redditurus ſit deponenti, &c. licitum quidem à principio eſt juramentum, ſed ſi eveniat res ad caſum, in quo quis non poſſet aliter vivere, niſi veniat contra juramentum, tunc licitè negotiabitur, licitè mutuum accipiet, licitè deponenti, furioſo facto negabit reſtitutionem.

9. OPPONES. Servandum eſt juramentum, quo quis per falſos Deos & idola jurat: atqui hoc eſt contra bonos mores. Ergò. ℞. Quamvis turpe ſit homini Chriſtiano per cacodæmones vel idola jurare; juramentum tamen hoc, promiſſioni alioquin licitæ adjectum ſervandum eſt, non quidem propter ipſum juramentum, ſed ne non ſervando illud, fidem frangat. *Can. ecce duo XXI. q. 1.* & contra licitam promiſſionem veniat. Vide Zoëſ. *loc. cit. à n. 20.*

10. Pro alijs objectionibus dirimendis Nota, quòd, quando turpitudo non verſatur ex parte jurantis, ſed ex parte accipientis ſeu illius cui fit juramentum, ut contingit in pacto legis commiſſoriæ jurato, in pignoribus; tunc ſervandum ſit, donec abſolutio ab eo impetretur, quâ obtentâ, res, de qua quæritur tanquam ſinè cauſa apud alium v. g. creditorem exiſtens condici poterit.

REGULA LIX.

1. *Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.*

2. Ratio eſt, quia lex ab omni circulo & circuitu abhorret, & ne id per plura fiat, quod per pauciora fieri poteſt; deſiderat. Quare, cùm

cùm hîc evitari poſſit circulus, retinendo illud, quod datum iterùm reſtitui deberet, meritò exceptio doli locum habet. Cur enim id, quod uno judicio abſolvi poteſt, magna partium jacturâ duobus judicis diſputaretur? Taceo, quòd res ſemel reſtituta ægrè aut nunquam fortè recuperanda ſit.

3. Eadem eſt ſententia Pauli *L. in condemnatione.* §. *fin. ff. h. t. dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt.* Exemplum adferri poteſt in uſurario, qui meritò exceptione doli repellitur cùm etſi exactas uſuras accepiſſet; eaſdem tamen refundere teneretur. *cap. cùm tu. 5. cap. tuas De Uſuris.* Cui enim datur actio, eidem multò magìs exceptio competit. *L. invitus. 157.* § *1. h. t.*

4. AMPLIATUR, etiamſi is, qui petit, non deberet reſtituere, niſi ex intervallo, quod miſerationis causâ illi indultum eſſet. Ut Ecce; Maritus ſoluto matrimonio non cogitur ſtatim reſtituere dotem, ſed bona dotalia mobilia, & pecuniam reſtituet tantùm poſt annum. *L. 1. C. de rei uxor. ait.* Quod ſpatium temporis, lex miſerationis causâ illi indulſit, ut ſcil: intereà eam pecuniam corradere poſſit, quam ſæpe paratam non habet, nihilominus tamen, ſi dotem à Socero promiſſam necdum ſolutam, mortuâ uxore, intrà annum petat; Socer repellet eum hac exceptione: dolo facis, qui petis dotem, quam ſi haberes, reſtituere deberes, & ſi replicaret Maritus: poſt annum cogor priùs reddere, habeóque dilationem, & intereà poſſum uti dote iſtâ, replicatio non proficeret; quia poſſet duplicari: iſta dilatio eſt tibi indulta non causâ obligationis, ſed miſerationis duntaxat *L. apud Celſum.* §. *de except:* cujus rationem aſſignat Baldus. *in L. Socer.* §. *Lutius. ff. ſoluto matrim.* Quod iſta dilatio ſit data marito ad meram defenſionem, ſi ante annum conveniretur: ergò agenti non prodeſt, ne alium effectum operetur, quàm eum, ad quem inducta eſt, & faciliùs conceditur exceptio, quàm actio. Vide Peck. *hic num. 2*

5. OPPONES *1mò.* Si quis rem ſuam, vel ſibi debitam, per vim abſtulerit, & poſſeſſor, â quo oblata, eam repetat; non poteſt auferens excipere, quòd dolo agat, qui petit rem ablatam quam deberet reddere *2dò* Legatarius, ſi occupet propriâ authoritate legatum ſibi debitum, non poteſt excipere contra hæredem repetentem legatum, quòd dolo faciat petendo legatum, quod deberet præſtare eidem. ergo.

6. Ad *1mum* ℟. quòd lex, cujus vigor ideo conſtitutus eſt, ne quis ſibi jus dicat, & ne partes ad arma veniant, pacémque publicam turbent; violento utique ſpoliatori utrámque autem claudat, & ne

tam atrox ſpoliationis delictum ipſi proſit; dominium vel quid aliud objicientem, niſi in primis & ante omnia factâ reſtitutione non audiat. *cap. licitè de reſtit. ſpoliat.* ad quem *tit.* vide Zoëſ. Ad *2dum* pariter ℞. cùm nemo ſibi judex eſſe poſſit, haud mirum eſſe, ſi legatarius hæredem, legatum repetentem, hac exceptione non rejiciat, cujus maximè intereſſe poteſt, ut vel quartam falcidiam detrahat, vel, ut ſi fortè è pluribus rebus electio ipſi data ſit, una arbitrio ſuo tradatur legatario.

7. Præterea fallit Regula *1mò.* Quando is, qui petit habet, dilationem reſtituendi, quidem miſerationis causâ, ſed per modum obligationis, hoc eſt, quando adjicitur dilatio, quæ reſpiciat ipſam obligationem. *2dò.* Si is, qui petit rem, non ei à quo petitur, ſed alteri alicui reddere debeat. Quia de jure tertij excipere non licet.

REGULA LX.

1. *Non eſt in mora, qui ſe poteſt exceptione legitima tueri.*

2. Deſumitur. *ex L. nulla intelligitur. ff. h. t.* Ratio eſt, quia juſta exceptio, & culpabilis mora ſibi invicem adverſantur, & ille ſolùm in mora eſt, qui ſcit, vel ſcire debet ſe teneri, quòd dici non poteſt de eo, qui ſe novit exceptione tutum eſſe. Dein; paria ſunt, actorem non habere actionem, vel habere eam, quæ per exceptionem elidi poteſt. Verba enim cum effectu ſunt accipienda.

3. Igitur exceptio legitima eſt, adversùs quam non competit replicatio. Si enim ea competit, utíque mora non contrahitur. Veluti ſi debitor excipiat de difficultate propter quam excuſari debet, replicare poteſt creditor, tu hanc difficultatem prævidere potuiſti, nihilominus promiſiſti. Eam ſi quæ fuit amovere potuiſſe, &c. alioquin legitima exceptio eſſe poteſt, pacti de non petendo, doli mali, metûs, jurisjurandi. Item ſi quis valetudine, tempeſtate, vi fluminis vel aliàs juſtè impeditus fuerit. Hæc enim â mora excuſant, & conſequenter etiam à pæna vel damno. Caniſ. *hìc.*

REGULA LXI.

1. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.*

2. Deſumitur. *ex L. nulla juris 24. ff. de LL. & ex l. quod favore. C. eod.* exornant illam. Barboſ. *in Axiom; juris uſufreq. Axiom. 96.* in hanc rem Paulus. *lib. 36. ad edictum.* elegandi hac ſententia uſus eſt: *Adjuvari nos, non decipi beneficio oportet. L. in commodato. §. ſicut ff. comm.*

Quæ

Quæ ſanè ſententia huic potiſſimùm convenit, eò quòd, ſi hæc, quæ pro nobis & in gratiam noſtram introducta, excogitata, atque inventa ſunt, quibusdam caſibus in læſionem noſtram retorquerentur, utique hujuſmodi beneficio deciperemur, & benefactor eſſet ſimilis capræ Sciriæ, de qua eſt in proverbio, quod mulctorum, quod lacte impleverat, majore domini ſui detrimento evertere ſolita, atque hoc modo beneficium, quod dederat, eadem viâ cum mulctro perdidit. Ideóque in officijs ſuadet Cicero, tam circumſpecte conferenda eſſe beneficia, ne aut collata accipientem lædant, aut collatorem contuliſſe, citò pœniteat.

3. Nihil igitur æquius eſt, quàm, ut ad diſpendium non trahantur, quæ favore indulta ſunt. Ut Ecce! privilegia civitatis, conceſſa ſcholaribus, non faciunt eos cives, quò ad onera ſubeunda, ſed ſolùm, quò ad eorum favorem; ita ut privilegio civium uti poſſint, ſed legibus eorum non ligentur. vide Prolixè Peck. *hoc loco.*

REGULA LXII.

1. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.*

2. Deſumitur. *ex l. conſilij 47. ff. h. t. conſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt. Cæterùm ſi dolus & caliditas interceſſit, de dolo actio competit.* vide Bronchorſt. *ad hanc legem.* Rationem aliqui eò deducunt, quòd conſilium non invehat neceſſitatem, nec cogat illum, cui datur, ſed magìs, ut deliberet, & ita liberum ſit ei acceptare vel non. Sed non placet, quia obligatio cujúſque non pendet à neceſſitate, quam alijs, ſed ab ea, quam ipſe ſibi per propriam voluntatem imponit. Patet tam in donatione, quàm alijs contractibus, in quibus conſentiens obligatur & tamen alteri antecedenter nullam neceſſitatem imponit. Dein, conſilium fraudulentum obligat juxta omnes, & tamen non imponitur neceſſitas illi cui præſtatur. Ratio igitur eſt, quòd conſilium, cùm procedat à dictamine rationis & judicio intellectûs, circa ea quæ agenda ſunt ex D. Thom. *1. 2. q.* 14. *art.* 1. ſuâ naturâ non habeat ſeu non ferat ſecum conſenſum, ſinè quo obligatio non contrahitur. vide Barboſ. *hìc in collect. n. 1.*

3. Conſulere autem hîc dicitur, qui ſvadet, rogat, inſtruit, & utilitatem futuram oſtendit, fraudulentum dicitur conſilium, quod doloſum. Equidem; quando verba ſe habent vel habere poſſunt ad mandatum vel conſilium, utique præſumendum erit in mitiorem partem, quòd ſit conſilium duntaxat, quia duriùs obligat

manda-

mandatum, quàm conſilium. Sicut & in ſimili dicimus, quòd ubi conſilium poteſt ſe habere ad bonum & ad malum, debeat interpretari in meliorem partem.

4. Hic Nota, quòd non abſque cauſa textus utatur verbo *fuerit*. Quia accuſans aliquem de conſilio, debet probare ordinem temporis, ſcil. quòd conſilium vel perſvaſio præceſſerit actum, aliàs non tenetur, excuſatúrque ratione ordinis non probati.

5. DICES. Julius Paulus *lib. 3. ad edictum* ait aſſeſſorem etiam abſque fraude conſulentem, judici ex conſilio perperàm præſtito obligari. Ergò tenetur quis ex conſilio etiam non fraudulento. ℞. Quòd dolus & lata culpa ſit aſſeſſorem in cauſis & litibus aſſidere, quarum naturam & vim ignorat.

6. Præſens Regula LIMITATUR 1mò. Si delictum non fuerit ſecutum, quia ex nudo conſilio (paucis quibuſdam caſibus exceptis) nemo obligatur. 2*dò*. Si is, cui conſulitur, ex longo intervallo poſtea delinquat. *cap. felicis. De pœnis. in 6.* quia (ut ſentiunt pleríque) videtur non fuiſſe ejuſmodi conſilio permotus. Sed contrarium exiſtimant Felin. & Panormit. *in cap. ad audientiam. De homicidio.* Quorum ſententia videtur eſſe verior, ſi non admodum longum tempus, fortè uniùs vel alterius anni interceſſerit. 3*tiò*. Niſi conſilium fuerit revocatum, qua in re tamen aliquid ampliùs requiritur, quàm in mandato, in eo enim ſufficit revocationem mandati pervenire in notitiam mandatarij, aſt hîc neceſſe eſt, ut expreſsè diſſuadeat, & contrarium conſulat. Quin imò, ſi probabiliter credat & veriſimiliter ſuſpicetur, quòd alter à malo non abſtinebit, debet denunciare ei, de cujus pernicie agitur, ut ſibi caveat; & Ratio eſt, quia, cùm mandatum fiat gratiâ mandantis, utíque veriſimile eſt, quòd mandatarius ſciens illud eſſe revocatum, non exequetur: Sed cùm perſuaſio & conſilium fiat gratiâ ejus, cui conſulitur, non eſt veriſimile, quòd non exequetur. LIMITATUR Deníque 4*tò*. niſi is, cui conſulitur, fuiſſet aliàs facturus. Panormit. *in cap. ex literis. De exceſſib. Prælat.* quæ tamen ſententia alijs diſplicet.

REGULA LXIII.

1. *Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarij confiteri.*

2. Regula huc translata eſt *ex cap. 6. De exception.* & conſentit cum Marcelli reſponſo *in l. non utique. 7. ff. De exception.* Ratio illius

eſt;

eſt; quia nemo præſumitur eam viam ingredi, quâ actiones ſuæ ſubvertantur. Non enim hoc excipiens agit, ut confeſſione ſua condemnatus actoris voto ſubſerviat, ſed ut ejus intentionem penitùs elidat & excludat. Sic qui contractum reſciendi poſtulat, non propterea fatetur eum eſſe validum *l. excepto. ff. De Action. empt.* & qui exceptionem pacti de non petendo debitum, objicit ſeu proponit, minimè confitetur debitum præceſſiſſe, non magìs, quàm ille fateri videatur præſcriptionem, qui objicit interruptionem. *cap. illud. De præſcript.*

3. Procedit hæc Regula, nedum in Reo excipiente, ſed etiam in Actore replicante. Quia exceptionis & replicationis par & adæquata eſt natura & conditio. *l. non exceptionibus. C. De excep.* & ſicut exceptio non objicitur ad confitendam intentionem actoris; ita nec replicatio ad confitendam exceptionem Rei.

4. Habet & locum in eo, qui ſe miſericordiæ judicis ſubjicit, aut veniam, remiſſionem, & reſtitutionem petit. Quia non ideò crimen fateri cenſetur, ſed potiùs intelligitur hoc facere, quatenus deliquit, & ne cogatur ingredi rigidam aliquam diſputationem cum Principe, Fiſco, aut judice crimen hoc illi imputante. Pariſius *lib. 4. conſil. 1.* bonâ alioquin conſcientiâ nullius criminis conſciâ munitus. *cap. exhibita. De homicidio.* Ideóque Joan. De Annania conſulit illi, qui ſic veniam poſtulat, ut conditionaliter petat: non puto me feciſſe ſed ſi feci, peto veniam. Vide latiùs Peck. *à n. 1. ad 4.*

5. DICES. Is intelligitur fateri crimen, qui paciſcitur. *l. quoniam. ff. De his, qui not. infamiâ.* & ut Ulpian. ait. *l. in fiſci. ff. De jure fiſci.* tranſigens cum delatoribus habetur pro confeſſo. Ergò & excipiens confiteri videtur. ℞. Si tranſigitur in caſu à jure conceſſo, ut in crimine, ex quo pæna ſangvinis infligitur (permiſſum enim cuilibet, ſangvinem ſuum redimere) tunc tranſigendo & paciſcendo non dici quem impoſitum crimen confiteri, nec oriri inde indicium ſufficiens ad torturam. Si verò tranſactio facta eſt in caſu, in quo non ingeritur pæna ſangvinis, vel alio, quò à jure tranſactio non conceditur, ut in crimine adulterij, tunc naſci indicium, & habere vim tacitæ confeſſionis. *d. l. quoniam. & l. fiſci. ff. De jure fiſci.* Confer hac de re Gail. *1. P. P. 11. n. 13.*

REGULA LXIV.

1. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

2. Ratio eſt, quia, quod contra leges fit (ne earum authoritas contemni videatur) per ipſas leges ſolvi meretur. *Can. vides. Diſt. 10.*

3. Contra jus autem fieri dicuntur ea, quæ contra juris formam fiunt. Veluti quòd teſtes parte non vocatâ producantur. *Cap. 2. De teſtib:* Quòd res Eccleſiæ ſeu pupilli áb{ſ}que decreto alienentur. Similiter contra jus fiunt, quæ menti legislatoris reſiſtunt. Unde hujus Regulæ conſtitutioni nullis privatorum pactis derogari poteſt, quia juri, quod pro ſe introductum non eſt (id eſt juri publico) renunciare non licet. *Cap. ad Apoſtolicam. De Regularib:* Gail. *1. obſ. 40. n. 7. 8. & ſeqq.*

4. OPPONES. Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Sic v. g. Epiſcopo extra provinciam, aliena altaria conſecrare non licet, quod tamen ſi fecerit conſecratio rata manet. *Can. Epiſcopus VII. q. 1.* Sic quóque poſt ſimplex votum caſtitatis, contra legem ineuntur nuptiæ, & tamen contractus Matrimonij tenet. *Can. nuptiarum. XXVII. q. 1.* Ergò

5. ℞. aliquos putare, ſententias contra leges latas ideo non convelli, quòd judicis authoritati deferendum ſit. Sed hoc eſt planè falſum & erroneum. ℞. Itáque Diſtingvendo: aut lex ſimpliciter prohibet; & ſic non valet, quod fit in contrarium, ut hic: aut non ſtat in finibus prohibitionis, ſed ultra procedit confirmando, átque, ut valeat conſtituendo; ut in allatis exemplis, & tunc valeat, quia non poteſt dici omninò contra legem, quod ab ipſa lege confirmatur. An igitur fruſtra prohibet lex, quod mox contra prohibitionem, factum, confirmat? minimè gentium. Lex enim, cùm naturam ſequitur, nihil fruſtra agit. Quid igitur confirmat, quod prohibet? valet utíque prohibitio in præjudicium judicis, qui adverſùs legem judicavit, ut vel litem ſuam faciat, vel ut mulctetur, per ea quæ *in tit. C. De pæna judic. qui malè judic.* reſpectu eorum verò, quibus nihil imputari poteſt, æquum eſt, res non magni momenti confirmari, ne majore ſumptu revocentur. Dein; mirum non eſt, ſi poſt ſimplex votum caſtitatis non infirmetur ſequens matrimonium, quia licet ea non conſiſtant, quæ contra jus divinum fiunt, ipſum tamen cum jure humano collatum, potentius eſt. Volo dicere: quòd obligatio ex voto proveniens,

veniens, ſit juris humani, quæ ex matrimonio, juris divini, ut ſic meritò prior cedat poſteriori.

6. Si ROGES quæ ſit ratio, quòd lex magìs uno caſu, ipſo jure contractum infirmet, quàm alio, & quòd uno caſu exceptionem requirat, alio non requirat? ℞. Legiſlatorem ſubinde nullam voluiſſe oriri obligationem & actionem vel propter ſcandalum publicum, quod inde eveniret, vel ad evitandam difformitatem, perturbationem, átque incertitudinem in ſententijs & ordine judiciorum. *L. probatam. C. De ſententijs.* vel ob publicam pacem & quietem, quòd ſcil. præſtet ejuſmodi contractûs, ſeu actûs nullam fieri mentionem, ſed potius ſilentio ſepeliri, cujus memoria non poſſet cum tranquillitate publica refricari. Alibi verò permiſit oriri quidem actionem; ſed talem, quæ per exceptionem; elidi poſſit: vel quia acceſſit qualis qualis conſenſus, ut fit in metu, vel quia hi, qui ita contraxerunt, ſunt aliquo modo culpabiles ut eſt in filiofam, qui mutuum accepit.

7. Igitur pro Regula obſervandum, quòd ex contractu prohibito non transferatur dominium, ſi lex illi reſiſtat, aliàs verò transferatur; dummodo tamen contractus de ſe teneat, id eſt dummodo non ſit ab ignorante per errorem factus. *tot. tit. De Cond: Ct: indeb:* Sive ex cauſa imperfecta celebratus, ſive per dolum malum initus.

REGULA LXV.

1. *In pari cauſa vel delicto, melior eſt conditio poſſidentis.*

2. Colligitur (in quantùm agit de delicto) *ex l. cum par. delictum ff. h. t.* & (quatenus de cauſa) *ex l. in pari cauſa. ff. eod.*

3. Itaque in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis, ſive de ultimis hominum voluntatibus; ſive de judicijs, ſive de contractibus, delictis, aut etiam rebus ſpiritualibus agatur. Et enim duobus teſtamentis eodem die ſcriptis, ſi non appareat, utrum priùs fuerit confectum, poſſeſſor præferetur. Idem de duobus inſtrumentis quibuſcunque alijs. In judicijs quóque, ubi ambarum partium teſtes, ſunt & pares & æque idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur. *cap. ex literis. De probat.* Ad delicta quod attinet. Si pecunia alicui data ſit, ſtupri homicidij, vel alterius delicti cauſâ, ea repeti non poteſt, quia utriúſque turpitudo, tam dantis, quàm accipientis verſatur. *l. 3. & 4. C. De condict: obturp: cauſ:* ſecus ſi tantùm ſit turpitudo ex parte recipientis, ut puta: Dedi tibi, ne furtum faceres, ne hominem occideres, vel ut depoſitum vel com-

 mo-

modatum reſtituas. Nam his & ſimilibus ſpeciebus repetitioni locus eſt. *l. 2. ff. De Condict. ob turp. clauſ.* Idem eſt, ſi ex metu injuſtè incuſſo, aliquid dederim, quem tamen expellit ſubſequens ſpontanea ſolutio. *l. 2. C. De his quæ vi metúſve cauſ.* Vide Caniſ. *hîc.* In rebus quóque ſpiritualibus nulla dubitatio eſt. Quia, ubi à Pontifice vel ejus legato uni; & ab ordinario alteri, eadem die idem Beneficium confertur, nec apparet, quæ collatio prior fuerit; erit in hoc conflictu potior conditio poſſidentis. *cap. ſi à ſede. De Præbend in 6.*

4. Illud verò, ad dignoſcendum, quis poſſideat, feriò obſervandum; quòd is potiùs poſſidere dicatur, qui fructus rei percipit, quam is, qui corporaliter eam tenet. *l arboribus. ff. De uſu fructu.*

5. Hæc Regula obtinet, etiamſi is, qui poſſidet actor ſit, & non Reus. Aretin. *in cap. noſtra. in fin. De Probation.* proinde omnia jura, quæ dicunt, in dubio Reum eſſe abſolvendum, intelligenda ſunt, ut procedant, cùm Reus poſſidet, non ſi actor. Nam jura potiùs reſpiciunt ad poſſeſſionem partium, quàm ad hanc earum qualitatem, an ſint Rei vel Actores.

6. OPPONES. *1mò.* Si Mulier viri lenocinio adulterata ſit, par quidem turpitudinis cauſa eſt. Turpe enim eſt Uxoris adulterium, turpe eſt viri lenocinium: non eſt tamen Viri, dotem poſſidentis, & de dote commiſſa excipientis, ſed Uxoris eam repetentis, & pro ea agentis melior conditio. *l. cùm mulier. ff. ſolut. Matrim. 2dò.* Nemo ex delicto ſuo meliorem ſuam conditionem facere poteſt, ne ex eo, ex quo pænam meretur, lucrum referat: id quod tamen fieri videtur, ſi fur aut latro, qui improbè & ſceleratè poſſidet, in ſua poſſeſſione defenderetur. *3tiò.* In pari cauſa potior eſt conditio ejus, qui de damno vitando, quàm ejus, qui de lucro captando certat: Atqui poſſidens frequentiùs lucrum captat. Ergò.

7. Ad *1mum* ℞. Licet vir & uxor in pari turpitudine exiſtant, uxor tamen, non fundat ſuam actionem in turpitudine, ut hîc; ſed in honeſto dotis contractu tantùm. Præterea maritus mores ſuæ conjugis, quam pervertit & ſeduxit, impugnare & improbare non poteſt. *d. l. cum mulier.* alia fortè ratio eſt favore dotis, fragilitate muliebri, &c. Ad *2dum* ℞. Quamvis poſſeſſor defendatur contra turpem & infamem actorem, non tamen ideo turpe lucrum in conſcientia retinere poteſt, ſed fiſcus illud aufert, & ille prætereà punitur. *L. in hæredem ff. de Calumniat. Gloſ. in L. ubi. ff. de condict. ob turp. cauſ.* Quod ſi fiſcus illud non auferat, pauperibus aut pijs cauſis applicandum

dum erit. Ad *3tium* ℞. Quòd vera ſit hæc ſententia, quòd is, qui de damno vitando agit, plùs favoris habeat, quando nempe ejus culpa hoc damnum non contigit, & non aliter. Quia, quod quis ex culpa ſua damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire. *R. J. infra h. t.*

REGULA LXVI.

1. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quò minùs, conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.*

2. *Lex 39. ff. h. t.* ſic habet: *in omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit, quo minus fiat.* Hæc Regula clarior eſt, quàm noſtra. Docemur interim illâ, quòd, ſi quis juſto metu, vel terrore impeditus non facit id, quod aliâs facere debuiſſet, jurisfictione id pro facto habeatur quod factum non eſt. Dixi: *juſto metu:* quia vani timoris nulla excuſatio. *L. vani. ff. h. t.* vide quæ diximus ad Reg. *imputari.* ſupra.

3. Habeſis exempla hujus Regulæ; Qui operas ſuas locaverat (inquit Paulus JC.) totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſteterit, quò minùs operas præſtaret. Sic etiam ſi teſtator relinguat religioſis alicujus Monaſterij centum pro ſepultura, aut ſi eos ſub hac conditione hæredes inſtituat; ſi corpus ſuum in eorum Eccleſia ſepeliant: certè ſi ipſe moritur excommunicatus, ita ut non poſſit in eorum Eccleſia ſepeliri, capient nihilominùs legatum, vel hæreditatem religioſi, quia per eos non ſtetit, quò magìs ipſum in templo ſuo ſepelirent.

4. Hæc Regula adeò vera eſt, ut locum habeat, ſive agatur de jure quærendo, ſive de acquiſito amittendo, quin & non ſolùm ſufficiat ad excipiendum, verùm etiam, ut & actionem quóque pariat & admittat. Ulpian enim ex vendito agi poſſe ſcribit, quaſi impletâ conditione, ſi non ſtat per eum, ſed per emptorem ut impleatur. *L. Labeo ff. de contrah. empt.* eíque non multùm abſimile eſt, quòd oblatione & conſignatione factâ, & conditione dandi ob id veluti impletâ ad pænas & uſuras agi non poſſit.

5. Pro ſolutione Argumentorum Nota 1. Regulam noſtram loqui de conditione poteſtativa, ſeu quæ in poteſtate noſtra eſt, ut eveniat vel non eveniat; non autem de conditione mere caſuali, aut mixta. 2. Intelligendam eſſe de impedimento injuſtè ab altero præſtito; non verò, quando natura conditionis talis eſt, ut eam impedire liceat. 3. Denique Nota, Regulam fallere, quando v. g. teſtator præcisè voluit omnem conditionem etiam caſualem impleri, antequam quid

peti poſſit. vide Peck. *5. de teſtam. con. 25. n. 3.* & Gail. *2. obſerv. 4. n. 16. uſque ad fin.*

REGULA LXVII.

2. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.*

2. Vide ad materiam hujus Regulæ Menochium. *de arbitrar. 9. caſu 495.*

3. Duplex ſenſus hujus Regulæ eſſe poteſt, prior; quòd alicui ſub nomine ſuo proprio facere non licet, néque etiam ſub alieno nomine, hoc eſt per alium facere licebit. Alter verò: quod alicui non licet ſuo nomine, vel pro ſe ipſo, néque alieno nomine id eſt pro alio licebit, & hic ſenſus huic Regulæ accommodatior videtur. Etenim ſive judicia ſpectes, ſive ultimas voluntates, ſive contractus, ſive pænarum acerbitates, ſive ſpiritualia ſive civilia negotia, præſens Regula locum habet. Nam ut à judicijs initium faciamus, excommunicatus ſicut pro ſe agere non poteſt, *cap. 2. de exception.* ita nec procuratorio nomine poteſt. *c. ult. de procurat. in 6.* & ſicut impubes pro ſe in judicio ſtare non poteſt, *l. minor ff. de procurat.* ita nec pro alio. Sic in ultimis voluntatibus: ſic enim liberis ſuis teſtamentum facere nemo poteſt, qui id jure ſibi facere nequit. §. *liberis. inſtit. de pupillari ſubſtit.* Sic & in contractibus & pænis. Nam quemadmodum clericus pro ſe negotiari, & nomine ſuo pænam ſanguinis infligere non poteſt, ita nec pro alio poterit, & denique, ſicut ſimplex Sacerdos virgines ſanctimoniales velare, altaria conſecrare, ordines conferre nequit; ita nec alieno nomine poteſt. *can. aqua. d. conſecrat.*

4. OPPONES. *1mò.* Qui propter affinitatem, conſanguinitatem, vel aliud impedimentum pro ſe matrimonium cum aliqua contrahere non poteſt, pro alio poteſt. *cap. ult. de procurat. in 6.* *2dò.* Si mihi competit ſervitus eundi per fundum tuum, licet aliàs Titio prohibere poſſes, ne ſuo nomine eat, non potes tamen prohibere, ſi meo nomine eat. *L. ſi ſtipulatus fuero. ff. de V. O.* *3tiò.* Epiſcopus, alienos ſubditos ſuo nominè ordinare non poteſt; nomine tamen proprij Epiſcopi poteſt. *cap. 1. de temp. ordinand. in 6.*

5. Ad *1mum* ℞. Quòd, quando id, quod fit, tendit ad eundem effectum cum eo, quòd fit proprio nomine, Regula noſtra locum habeat, non quando ad diverſum effectum vergit. Jam verò alius effectus eſt, cùm quis pro ſeipſo matrimonium contrahit, alius; cùm pro alio. Dein; impedimentum, quod in perſona procuratoris eſt, in illo pro quo contrahitur ceſſat. Ad *2dum* ℞. Quòd ex veriſimili mente contrahentium intelligatur comprehenſus quivis alius, quem nomi-

nomine meo ire jubebo; conſequenter, ſi quis alteri nomine meo eunti viam præcluderet; pacto contrairet. Ad *3tium* ℞. cùm quis clericum proprij Epiſcopi conſenſu, & pro eodem conſecrat, ſeu ordinat, ceſſare rationem ob quam jure id ei antea facere non licuit, ne ſcilicet, dum alter in alterius meſſem falcem ſuam immittit, inter Epiſcopos jurisdictio interturbetur, & proin diſcordia oriatur. *can. illud. diſt. 71.*

REGULA LXVIII.

1. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.*

2. Deſumitur. *ex L. dejeciſſe. ff. de vi & vi armat.* & ſuperiorem non malè ſequitur. Illa negativa, hæc affirmativa eſt ex eodem argumenti genere, quò ſpectat titulus utriúsque juris. *de procuratorib.* Qui enim per alium facit, per ſeipſum facere cenſetur, niſi, ubi perſonæ induſtria electa eſt, puta; ſi ſpecialiter actum ſit, ut quis ſuis operis factum præſtet, aut perſonaliter negotium exequatur; vel pro forma introductum ſit à lege, ut res non per alium, ſed per ſeipſum explicetur. Sicut in pronunciatione ſententiæ, quæ ab ipſo judice facienda eſt. *l. 1. 2. & 3. C. de ſentent. &c.* & teſtamenti factione, quam per ſe præſtare debet teſtator, non permittere voluntati alterius. *L. illa inſtitutio. 22. L. ſi quis Sempronium. 68. ff. de hæred. inſtit.* vide quæ tradunt. *DD. ad cap. cum tibi. 13. de Teſtam.* Vel quando factum proprium lex, aut natura rei exigit, ut in confeſſione peccatorum, quæ ab ipſo pœnitente coràm Sacerdote explicanda eſt, & in criminalibus cauſis, quæ per ſe, non per procuratorem agitantur.

REGULA LXIX.

1. *In malis promiſſis, fidem non expedit ſervare.*

2. Eleganter Iſidorus: *in malis promiſſis* (inquit) *reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incautè voviſti, ne facias; impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur. cap. in malis* XXII. *q. 4.* Quare ex hujusmodi promiſſione nulla naſcitur obligatio, nequidem, ſi juramentum acceſſerit, vide quæ ſupra dicta ad Reg. *non eſt obligatorum, &c.* Imò mala promiſſa à jure inter impoſſibilia recenſentur. Nam, ut ſcitè Papinianus ait: *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim; quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credentum eſt. text. in L. filius. 15. ff. de condition. inſtit.* Quare verbum *expedit* in hac Regula ad neceſſitatem trahendum

dum eſt. Licet enim *tò expedit*, plerúmque ad utilitatem referatur. *cap. non ſolùm. De Regular. cap. cùm expediat. de Electión. in 6.* ſæpè tamen neceſſitatem habet, & pro eo, quod fieri oportet accipitur. Proinde officium judicis eſt, ex hujusmodi promiſſionibus actionem denegare.

3. DICES. In titulis juris: *De dolo malo*, & *de eo quod metûs cauſa.* dicitur id, quod dolo, vel metu geſtum eſt, ipſo jure valere, licet ex edicto Prætoris reſcindatur. Atqui dolus malus, & metus per ſe turpes ſunt. Ergò. ℞. etiamſi per ſe turpes ſint, non tamen rem ipſam, quæ promittitur, vel geritur per dolum aut metum, in ſe ſemper turpem eſſe, quâ ſpecie loquuntur dicti tituli. Aſt verò Regula noſtra exaudienda eſt, de turpi in ſe. *in malis* inquit *promiſſis*, non autem *in malè promiſſis* quæ diverſa ſunt, quidquid obſiſtat Peck. *hìc n. 2.*

REGULA LXX.

1. *In alternativis electio eſt debitoris, & ſufficit alterum adimpleri.*

2. Ratio eſt: Quia is, qui alternativè ſtipulatus eſt, vel legem conventionis ſcripſit, certè expreſsè vel tacitè (quod ſatis eſt) Reo, ſeu debitori electionis arbitrium fecit. *L. cùm quid. ff. ſi cert. pet.* & niſi electio daretur debitori, alternativæ adjectio nihil omninò operaretur.

3. Cæterùm, duo elegantia hîc proponuntur axiomata valde in utróque foro frequentata. Prius eſt; quòd in alternativis electio ſit debitoris: poſterius verò quòd in alternativis ſufficiat alterum adimpleri. Quantùm ad primum; de illo extant multa in legibus exempla. Nam ſicut in poteſtate venditoris eſt electio rerum alternativè venditarum. *L. ſi in emptione §. ſi emptio. ff. de contrah. empt.* Ita eodem modo alternativa pretij conventi, quò ad electionem debet eſſe in poteſtate emptoris, ut utriúsque contrahentis par ſit conditio ut oportet. Quare, ſi emptor dicat: peto rem mihi tradi, aut id quod intereſt, mihi præſtari: utique hoc ipſo in venditorem, transfert optionem. Sic in alternativis beneficio Principis conceſſis electio eſt ejus, cui conceſſio ea facta eſt, ſi modo, ex modo proprio Principis gratia conceſſa ſit. Maynerus apud Peck. *hìc in princ.* Verùm Barboſ. *hìc n. 17.* Vult hanc diſtinctionem ſolùm procedere, in gratijs ad beneficia Eccleſiaſtica, in quibus ſtrictè vel latè interpretandis, diſtinctio ſtatuitur inter eas gratias, quæ motu proprio, & illas, quæ ad poſtulationem emanant, ita ut in poſterioribus, quia ambitioſæ

ſunt,

ſunt, & præſeferunt quandam impetrantis ambitionem; ſtricta fiat interpretatio. *cap. quamvis. in princ. de præbend. in 6.* Non ita in prioribus, in quibus ob defectum poſtulationis prædicta ceſſat ambitio, ut proin in beneficijs Principum pleniſſima in favorem partium interpretatio facienda ſit.

4. Sunt autem alternativorum varia genera. Videlicet; temporum, perſonarum, rerum, ſummarum, locorum. Item rerum & locorum mixtim, & tandem rerum, perſonarum, & locorum ſimul. Propoſitio alternativa *temporum* eſt; ſi ita ſtipulatus fuero; Calendis januarijs, vel februarijs dare ſpondes? *Perſonarum*; promittisne mihi, vel Titio Decem? & ſic cum proportione formabis exempla pro alternativis alijs.

5. Sed hîc in quæſtionem venit, quid dicendum ſit, alterâ ex rebus alternativè debitis mortuâ aut peremptâ? Jabolenus ait alteram deberi, adeóque in ſola re ſuperſtite totam manere obligationem. Quod ita accipiendum, niſi alteram obtulerit Reus, eámque creditor acceptare noluerit. *L. Stichum aut Pamphilum. ff. de ſolution.* Quia ſi morâ ſtipulatoris res interijt, debitor in univerſum liberatur, néque nomine alterius rei, quæ ſupereſt, adverſus eum actio competit.

6. DICES. Servo, & ita re noxali peremptâ, néque æſtimatio debetur & obligatio in totum extinguitur. ergò à pari. ℞. N. conſeq. Ratio eſt, quia æſtimatio debetur ratione ſervi principaliter, unde ſervo extincto, extinguitur etiam altera pars alternativæ, nempe æſtimatio, quæ ratione illius præſtanda erat. Aliter res ſe habet, quando utraque pars alternativæ eſt in obligatione principaliter & per ſe, quia tunc altera extincta, manet præcisè obligatio in altera. *LL. & DD.* apud Barboſ. *hîc n. 8.*

7. Quid ſi debitor, qui alternativè promiſit, utrúmque per errorem ſolverit? ℞. etiam in repetendo altero electionem habebit. *DD.* apud Barboſ. *hîc n. 7.* Ratio eſt, quòd condictio indebiti, ſit veluti reſtitutio in priſtinum ſtatum adeóque in priſtinam cauſam reponi debeat is, qui repetit, ut electionem, quàm ante habuerat, conſequatur.

8. OPPONES contra Regulam. *1mò.* Si Titio fundus Sejanus vel uſusfructus fundi Sejani legatus eſt, poteſt Legatarius (quem eo reſpectu conſtat eſſe creditorem) vel fundum vendicare, vel uſumfructum. *L. Lucio Titio. ff. de legat. 3.* *2dò.* Quandocùnque à lege vel ſtatuto pæna alternativa imponitur, veluti, ſi lex dicat, ebrioſos clericos ab officio vel beneficio ſuſpendi oportere: electio eſt judicis, quam pænam infligat, non rei accuſati, quam pænam ſubeat. *cap. à crapula. de vita & honeſt. Cleric.* ergò, &c.

N 9. Ad

9. Ad *imum* ℞. cùm omnia, quæ Teſtamentis inſeruntur ex veriſimili teſtantis mente accipi, atque interpretari debeant, hinc judicem debere circumſpicere, in quam partem affectio ipſius propenſior fuerit, & ad quem verba ſua direxerit, aut cui voluntatis ſuæ executionem potiſſimùm commiſerit. Nam ſi verba executiva ad hæredem direxerit teſtator; etiam ipſius hæredis, qui legati debitor eſt, electio erit. At, ſi verba executiva ad legatarium retulerit, ejus erit electio, etiamſi creditoris loco habeatur. *L. ſi ita relictum. §. fin. ff. de legat. 2.* etenim, cùm verba ſua dirigit teſtator ad hunc vel illum, eundem prædilexiſſe, & animi affectionem ergà eum oſtendiſſe, adeóque optionis facultatem ei feciſſe videtur. Quod ſi verba dubia ſint, & néque ad hunc, néque ad illum prolata, ſed ſi ſimpliciter dixerit: Stichum aut Sempronium Flacco do, lego: benignâ ratione exceptum eſt, ut legatario eligendi poteſtas competat, non hæredi, eò quòd voluntates defunctorum latam accipiant interpretationem. Aliud ſanè, eſt in contractibus, in quibus in dubio, electio eſt debitoris, eò quòd contra ſtipulatorem facienda ſit interpretatio, qui apertiùs legem conventionis dicere potuit, & certè, cùm ex ſtipulatione non transferatur dominium, ſed ſolummodò perſonalis naſcatur actio: bono jure manet electio apud promittentem. Nec OBSTAT, quòd teſtator præſumatur tam parùm gravare hæredem, quàm fieri poteſt, quódque legata reſtringi, non ampliari conveniat. Nam cùm alternativa plerúmque æquipolleant; utique hæres ipsâ electione nihil aut parùm gravari videtur, & certè hoc tribuitur liberali affectioni defuncti, quâ legatarium proſecutus eſt, non quidem in ampla hæreditate, ſed in una re particulari duntaxat. vide *DD.* apud Barboſ. *hìc n. 14. & 15.*

10. Eodem ferè modo ad *2dum* ℞. Nam, cùm pænæ imponuntur alternativè, videndum eſt, in quem legis aut ſtatuti verba dirigantur. Si ad judicem: veluti, ſi dicat: puniat eum judex gladio vel flammis, judicis erit optio. *L. fugitivi C. de ſervis fugit.* Si verò ad Reum, veluti ſi dicat lex: qui deliquerit nocte, ſolvat centum, aut recedat à civitate, utique Reo electio deferetur. *L. quicúnque d. tit.* Quod ſi néque ad judicem, neque ad Reum, ſed imperſonaliter verba prolata ſint; licet in pænis benignior interpretatio accipi ſoleat; iterùm tamen judicis electio erit, non rei tanquam debitoris pænæ. *L. aut damnum §. 1. ff. de pænis.* Reus enim, qui in propria cauſa arbiter eſſe non poteſt, ſemper eligeret minorem & mitiorem pænam, ipſius delicto forte minùs correſpondentem. *DD.* apud Barboſ. *hîc n. 22.*

REGU-

REGULA LXXI.

1. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.*

2. Deſumitur. *ex L. invitus.* §. *cui damus. ff. h. t.* Ratio eſt, quia quemadmodum favorabiliores ſunt partes Rei quàm actoris (quâ de causâ omnia Reis licent, quæ actoribus conceduntur & omnia actoribus denegantur quæ reis prohibentur, multáque Reis permiſſa ſunt, quæ actoribus non licent) ita quóque Rei exceptio faciliùs, quàm actoris actio admittitur.

3. AMPLIATUR hæc Regula, ut ſicut faciliùs datur exceptio, quàm actio, ita quóque faciliùs tribuatur retentio, quàm petitio: proinde pleráque compenſationis vice retineantur, quæ inſtitutâ actione peti non poſſent.

4. Singulare autem eſt in depoſito. Etſi enim depoſitarius rei depoſitæ dominus ſit, ac proinde habeat actionem ad eam vindicandam, exceptione tamen contra deponentem ſe tueri non poteſt, ſed ante omnia depoſitum reſtituere tenetur, ídque ob bonam fidem, quæ uberior eſt in depoſito. *L. pen. C. depoſiti.* Idem eſt in re conducta, cujus conductor prætendit ſe eſſe dominum: Nam néque hic exceptione dominij juvatur adverſus locatorem. *L. ſi quis conductionis. 25. C. de locat.* Ratio eſt, quia conductor negando reſtitutionem locatori, cenſetur ei intervertere poſſeſſionem, quæ hactenus animo, apud locatorem remanſit. *L. Colonus.* 12. *junctâ l primâ.* §. *ſive autem ff. de vi & vi armata* Similiter ſpoliatus poſſeſſione ſua, licet prædo; ante proprietatis quæſtionem reſtituendus eſt. Hæc itaque, cùm ſingularia ſint, hac Regulâ non continentur.

REGULA LXXII.

1. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.*

2. Conſonat. *l. quod juſſu alterius. ff. h. t.* Nolim autem arbitreris, idem hic repeti, quod *Reg. 86.* dictum. Nam, cùm illic diſputatum eſſet, an quis ſubſtitutione & in ſuum locum ſurrogatione factâ uti poſſet; & an per alium facere ei liceret, quod per ſe ipſum facere permiſſum: hîc jam de vi & effectu hujuſmodi ſubrogationis agitur, & oportunè deciditur, quòd, qui per alium facit, & vicariâ alterius operâ utitur, per ſe ipſum feciſſe videatur: Id, quod in contractibus evidenter apparet; *qui enim mandat ſolvi* (in-

quit

quit Paulus *l. qui mandat. l. cum juſſu. ff. De Solut.*) *ipſe videtur ſolvere.* Sic in judicijs, Procurator jurat in animam domini ſui, ſive verum, ſive falſum juret. *Clement. 1. De jure jur:* In delictis quóque dubitandum non eſt. Nam legi Pompejæ locus eſt, ſi Filius Patrem vel per ſe vel per alium occiderit. *l. utrum. ff. ad L. Pompej. De Parricid:* Idem dicendum de his, qui bruta animantia ad aliorum perniciem inſtigant. *l. 1. ff. ſi quadrupes pauper. feciſſe dicatur.*

3. Hæc Regula vera eſt *Primò.* Sive qvis verbis imperativis, cujuſmodi ſunt: occide, percute, vade, fac &c. Sive verbis precandi uſus ſit: ut ſi dixiſſet: Rogo, ut occidas, peto ut facias, opto ut vindices. *l. 1. ff. mandati, & ibi DD.* confer Gail: *1. P.P. 1. n. 43. & ſeqq.* Nam in criminalibus negotijs, & maximè quidem in atrocibus, Generaliter verum eſt, quòd is, qui occaſionem damni dedit, damnum feciſſe videatur, modo tamen id non involuntariè fecerit. *Secundò.* Etiamſi is, qui pro alio fecit, exceſſerit limites mandati. Quamvis enim ultra Mandatum non obligetur aliquis. *l. Diligenter. ff. Mandati.* in criminibus tamen diſtingvitur. Nam aut eſt in poteſtate mandatarij ſervare fines mandati, ut quando mandatum eſt, ut percutiat in uno loco, vel extra plateam, & ille percutit in alio loco, vel in platea: tunc mandans excuſatur à pæna ordinaria mandati. Bald. *ad l. cùm Mandati. C. Mandati.* Aut ſervare fines mandati non eſt in poteſtate mandatarij, ut, ſi mandans jubeat percuti gladio & vulnerari, ſed expreſsè prohibet, ne occidat, tunc, quia non eſt in facultate mandatarij ſervare fines mandati, cùm verbera aut vulnera non infligantur ad menſuram; Mandans tenetur de ſubſecuto homicidio, perinde, átque ſi illud feciſſet. *Cap. fin: De homicidio.* Maximè, ſi inſtrumentum, quo percuti jubet, eſt idoneum ad mortem inferendam.

REGULA LXXIII.

1. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari.*

2. Deſumitur *ex l. in ambiguis. §. 1. Non eſt novum, ut quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.* Ratio eſt, quia teſte Ulpiano *l. ſi procuratorem. in princ. ff. mandati.* Unius cujúſque actûs initium ſpectandum eſt, & hoc quidem legitimum & utile eſſe ſatis eſt. Conſtat enim leges futuris duntaxat dare formam negotijs, non ad facta præterita revocari.

Itáque

3. Itáque quemadmodum non firmatur tractu temporis, quod illegitimè factum eſt; ita é contrario non infirmatur ſeu retractatur factum legitimè, ſi ſuperveniat caſus, à quo incipere non poſſet. Legitimè autem factum eſt id, quod ſecundùm legum præſcripta peractum & abſolutum eſt.

4. Unde locum habet, Regula in teſtamentis, contractibus, uſucapionibus, alijſque actibus. v. g. Teſtamentum, quod quis legitimè fecit, non infirmatur, licèt furor aut captivitas aliúdve impendimentum ſuperveniat. §. *præterea. Inſtit: quib: non eſt permiſſ. facere teſtam.* Similiter Matrimonium à ſanæ mentis homine contractum, propter furorem ſubſequentem, affinitatem ſupervenientem, &c. non dirimitur. *l. Oratione 16. ff. De ritu nuptiar.* Sic in uſucapione completa, mala fides ſuperveniens non nocet, ſi initium à bona fide inceperit. Vide Bronchorſt. *ad cit.* §. *1.*

5. AMPLIA quòd etiam non legitimè factum interdum non retractetur, ut quando lex ſtat in meris finibus prohibitionis, & ultra non progreditur declarando actum in contrarium factum eſſe nullum. Quia multa fieri prohibentur quæ tamen facta tenent.

6. OPPONES. Marcellus ait, ea quæ rectè conſiſtunt, reſolvi, cum in eum caſum reciderint, à quo incipere non poſſent *l. exiſtimo. ff. De V. O.* Ergò. ℞. Veteres juris conſultos hac in re videri ſibi oppoſitos, & in diverſa ſenſa abijſſe ut oſtendit Pekc. *hic. n. 4.* ſed, ut illos reconciliemus; ex infinitis interpretum diſtinctionibus dicendum; non retractari factum legitimè jam perfectum & abſolutum, præterquàm, ſi ſuperveniat defectus formæ, quâ deſtructâ, res ampliùs non ſubſiſtit ſive jam ſit facta, ſive facienda. *l is qui quadraginta. ff ad l. falcid.* vel ſi deficiat cauſa finalis, non impulſiva. vel ſi ſequeretur abſurdum quid vel impoſſibile, qua ratione extingvitur ſtipulatio, ſi res, quæ utiliter in ſtipulationem deducta eſt, ſacra vel religioſa fiat, vel aliter commercio hominum eximatur ſine facto promiſſoris. Vel ſi impedimentum ſuperveniens reſpiciat directè rem & effectum, tam ad impediendum jam factum, quam ad huc inchoandum, ordinatum. *l non diſtingvimus.* §. *Sacerdotio. ff. De arbitris.* Tiraquellus vult, non ceſſare effectum conſummatum pro tempore præterito, ſed bene pro tempore futuro, ſi effectus ille eſt ſucceſſivus, aut ſi ſuperveniat cauſa removens illud, quod jam conſummatum & in eſſe productum fuit Tunc enim retractatur actus etiam perfectus & abſolus, ut Ecce! Gravamen eſt cauſa appelationis, & ponamus quod ſit in eſſe producta, & actu interpoſita. Si tamen ceſſet gravamen, ceſſat & appellatio.

Cap. cum ceſſante. De Appellat. Porrò interdum factum legitimè, retractatur, ex caſu ſuperveniente, in odium ejus, cujus culpâ caſus evenit. Is enim, cùm pænâ dignus ſit, non honore: ſanè hujus Regulæ beneficio ſe juvare nequit.

REGULA LXXIV.

1. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum.*

2. Ex hac Regula vulgò colligitur, quòd privilegia & diſpenſationes (per quas, dum aliquid gratiosè conceditur, jus commune pro parte corrigitur) de caſu ad caſum ſimilem, de perſona ad perſonam; & ita in exemplum, & conſequentiam, trahi non debeant. Quia, cùm privilegia & diſpenſationes, præmiſſâ per ſuperiorem cauſæ cognitione, concedantur, & jus ſingulare conſtituant; meritò ſuperior, qui cauſæ cognitionem præmiſit tantùm ſuper caſu expreſſo, voluit in eo ſolùm jus ſingulare conſtituere, & conſeqventer deficit omninò voluntas illius, quò ad caſus ſimiles, eandem vel majorem rationem habentes. Et ita contra ſuperioris intentionem, inferiores nequeunt jus illud ſingulare, velut jus commune extendere. Barboſ. *hic n. 1.*

REGULA LXXV.

1. *Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam, ſervare recuſat.*

2. Ratio eſt; quia in omni promiſſione tacitè reperitur hæc conditio; niſi aliud facto adverſarij contigerit. Nam qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, & frangenti fidem fides frangatur eidem. Sicut & in ſimili fruſtrà legis implorat auxilium, qui in eam committit, & ex eo, quod quis ſubvertere tentat, lucrum non capit. Vide Reg. *ex eo non debet &c.*

3. Quare, cum dicimus, hoſti aut alteri fidem datam ſervandam eſſe, ita intelligendum; ſi adverſarius ipſe fidem ſervaverit. Alioquin enim clavum clavo pellere, & artem arte deludere licet. *Cap. quia fruſtrà. De uſuris.*

4. Quin & hæc Regula obtinet *1mò.* Etiamſi fides, ſeu pactum jurejurando fulciatur. *2dò.* Si etiam in una parte fides non ſervetur. Sic videmus, quòd venditor poſſit rem totam venditam retinere, ſi unus nummus pretij conventi non ſolvatur. *l. Julianus.*

nus. §. *offerri. ff. De action. empt.* Sed hoc tamen ita; niſi tam levis momenti res ſit in qua ceſſatum eſt, ut non ſit veriſimile partes ad eam reſpexiſſe. *3tiò.* Etiamſi ſit ſuperior, aut Princeps, qui fidem non ſervat. Nam ſi dominus non ſervat fidem vaſallo, vaſallus ſimiliter non tenetur ei ſervare juramentum fidelitatis. Alciatus *Conſil. 167. n. 11.*

5. Quæ hactenus diximus, dubium non habent, ubi culpâ alterius fides non ſervatur. Sed quid, ſi caſu vel neceſſitate quis impeditus ſit? Caniſius putat, nihilò magìs illi fidem ſervari oportere, præſertim in contractibus innominatis, in quibus faciliùs pœnitentia admittitur.

6. OPPONES *1mò.* Licèt non ſolvatur pretium, res vendita & tradita vindicari, aut condici non poteſt. *l. in civile. C. De rei vindicat.* *2dò.* Si utérque conjungum votum continentiæ ſeu caſtitatis emiſerit, altero fidem frangente, alter nihilominùs conſtantiſſimè perſeverare debet. *Can. quod Deo. 38 q. 5.* Ergò.

7. Ad *1mùm.* ℞. Quòd poſterior fides, quæ frangitur non ſit in articulo emptionis, ſed ſolutionis. Igitur, quia venditor fidem emptoris ſecutus, per traditionem à ſe abdicavit dominum rei, & in emptorem tranſtulit, ſupereſt tantùm, ut ad pretium agat. Ad *2dùm.* ℞. Quòd votum caſtitatis à viro & uxore emiſſum principaliter concernat Deum, non jurantes ipſos. Unde quia unum votum non præſtatur reſpectivè ad implementum alterius, ideò altero fidem frangente, aut in incontinentiam prolapſo, alter quò ad DEUM fidem ſervare debet. Dein; quando dicimus, quòd mutua delicta mutuâ compenſatione tollantur; intelligendum, non in ſeparatis factis, ſed in promiſſionibus, quarum altera, alterius cauſâ facta ſit. Proinde hæc Regula ſolùm procedit, ſi tibi ſervanti fidem, eam ſervare nolim, circa idem capitulum, vel circa capitulum connexum, ſecus ſi circa ſeparatum. Dicuntur autem obligationes connexæ, quæ ſunt correſpectivæ.

REGULA LXXVII.

1. *Delictum perſonæ, non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.*

2. Si nemo alterius odio prægravari debet, ſi delicta ſuos tenent authores, ſi ratio non patitur, ut alteri per alterum iniqua conditio inferatur; profectò nec delictum perſonæ, detrimento debet eſſe Eccleſiæ. Per perſonam intellige quemcúnque etiam Epiſcopum, alli-

aliúmve Eccleſiæ Prælatum. *Cùm enim*: ut diſertè ait Alexander III.) *Epiſcopus & quilibet Prælatus, Eccleſiaſticarum rerum ſit procurator, non dominus; conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, facere deteriorem non poteſt. cap. 2. de Donat.* Hinc ob delictum Epiſcopi, vel alterius clerici, jubentur bona Eccleſiæ illæſa ſervari. *Can. ſi Epiſcopum. XVI. q. 1.* etiamſi bona feudalia ſint, & ob feloniam in comiſſum ceciderint, aut Prælatus crimen læſæ Majeſtatis commiſerit. Quin & Prælatus, qui in præjudicium Eccleſiæ, res ejuſdem alienavit, vel alienanti ſubſcripſit, anathemate percellitur. *cap. ſi quis Presbyterum. de reb. Eccleſ. non alien.* Unde Prælatus, qui in rebus Eccleſiæ malè verſatus eſt, poteſt proprio facto contravenire, propriámque turpitudinem allegare, & contra communes Regulas, rem alienatam, etiam non obſtante juramento de non revocando, vindicare. *Gloſſ.* & Panormit. *in cap. 1. de reſtit. in integ. in 6.* vide Zoëſ. *ad tit. de reb. Eccleſ. &c. n. 5.*

3. Hæc Regula adeò obtinet, ut juxta communem DD. ſententiam, non ſolùm ſolius Prælati decretum non noceat Eccleſiæ, ſed ne conſenſus quidem Prælati & Capituli ſimul. Quia bona Eccleſiarum non ſolùm ſunt deputata ad uſum Prælati & capituli, ſed prætereà etiam ad reparationem templi quod Divino numini dicatum eſt, nec non ad alimoniam pauperum. *Can. fin. XVI. q. 2. can: quatuor. XII. q. 2.* Quibus ex alieno facto præjudicium generari non poteſt. Dein, quia in mandato generali, quod capitulum aut Prælatus habet, non continetur facultas delinquendi. Cæterùm, de cauſis & ſolemnitatibus ad alienationem rerum Eccleſiæ requiſitis vide Zoëſ: *ad tit: cit: n. 11. & ſeqq.*

4. Quid, ſi teſtator dixerit, ſe bona ſua relinquere v. g. alicui xenodochio ſub hac conditione; ut quotannis ibidem certum aniverſarium celebretur, & ſi celebratum non fuerit, velit bona ſua ad aliud Monaſterium devolvi. ℞. ſi gubernatores iſtius xenodochij, aliquot annis aniverſarium iſtud intermiſerint, non privatur Eccleſia ſuo legato, aut hæreditate, idque ex æquitate hujus Regulæ. Quæ

5. AMPLIATUR, ut Prælatus delinquendo non ſolùm non transferat dominium rei Eccleſiæ, ſed nec poſſeſſionem quidem, nempe civilem: etiamſi adjecta fuerit clauſula conſtituti. Hoc eſt, etiamſi conſtituerit, ſe eam rem nomine emptoris poſſidere. Quia, non tam apud ipſum, quàm apud Eccleſiam, rei iſtiusmodi poſſeſſio eſt, & ideò morte ejus poſſeſſio non vacat. Id quod pluribus explicat Tiraquellus. *lib. de conſtit. par. 3. limit. 16.*

6. DICES. Ex negligentia Prælati, contra Eccleſiam currit præſcriptio. *cap. auditis. de præſcript.* ergò. ℞. quòd in poteſtate Eccle-

ſiæ

ſiæ ſit; vel petere reſtitutionem in integrum, vel contra Prælatum negligentem judicio experiri, maximè ſi is non ſit Regularis, & aliquid proprij habeat, unde ſibi conſulere queat Eccleſia.

7. Pro alijs objectionibus ſolvendis porrò Nota. Quòd Prælatus (idem de Abbatiſſa) licet in rebus acquiſitis nocere non poſſit Eccleſiæ, in acquirendis tamen poſſit. Eò quòd tunc non tam nocere, quàm non prodeſſe Eccleſiæ dicatur. Ejus autem alia non videtur eſſe ratio, quàm quòd aliquid imputandum videatur Eccleſiæ, ſeu capitulo, quòd talem elegerit. vide Zoëſ. *ad tit. cit. n. 6.* Notat tamen Curtius *ad l. ſervus. n. 6. C. de pactis.* Quòd, licet hæc ita ſint; contra Prælatum tamen, qui datâ oportunitate noluit acquirere detur actio ad intereſſe, pro modo & ratione lucri ceſſantis.

REGULA LXXVII.

1. *Rationi convenit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.*

2. Quæ ad hujus Regulæ illuſtrationem pertinent, abundè ſuperiùs dicta ſunt ad Regulam. *Qui ſentit onus, &c.*

REGULA LXXVIII.

1. *In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.*

2. Deſumitur. *ex l. 162. ff. h. t.* quæ ſic habet: *quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in Argumentum trahi.* Veluti patri permiſſum eſt, ob neceſſitatem famis filium vendere. Quod in Argumentum non debet trahi, ut alio caſu filium vendere liceat. *L. 1. & 2. C. de patrib. qui filios diſtrax.* Similiter propter redemptionem captivorum, aut alimoniam pauperum permiſſa eſt rerum ſacrarum alienatio. *L. Sancimus C. de ſacroſ: Eccleſ: can. aurum. XII. q. 2. & ratio*: Quòd animæ hominum debeant quibuscúnque vaſis & veſtimentis præferri. Denique propter famis neceſſitatem eſculenta furari licet, quantùm ſatis eſt. *cap. ſi quis 3. de furtis.* Sed hoc tantùm in extrema paupertate verum eſt, quando nihil ſupereſt, unde neceſſaria comparentur, & aliàs moriendum eſſet. *Can. Diſcipulos. Diſt. 5.* Ratio: quia in neceſſitate omnia debent eſſe communia, & maximè cibaria. Non tamen ignoſcendum eſt ei, quæ obtentu paupertatis turpem & meretriciam vitam agit. Semper enim luxurioſè vivere peccatum eſt. *l. palam, 43. §. non eſt ignoſcendum. 5. ff: de ritu nuptiar.* Rationem diverſitatis

tatis dat Bronchorſt. *Ad l. quæ propter cit.* quòd cætera, maximè cibaria ſint in extrema neceſſitate communia, non autem caro hominis in commune expoſita ſit. Sed optimum diſcrimen dat Covarruvias. *ad Regul: peccatum. p. 2. §. 1. ℣. quæritur.* Nam ſubtractio rei alienæ (inquit) ideò illicita eſt, quia proximo injurioſa: ea verò injuria ex conſenſu domini expreſſo vel tacito planè ceſſat, adeóque præceptum domini, quo furtum prohibetur non continet eam acceptionem, quæ fit cum ipſius domini conſenſu debito ſaltem, & à lege requiſito. Requirit enim lex Divina & humana, ut eſurienti fratri cibum det, qui abundat: quod ſi non conſentiat habens animum avaritiâ plenum, & à charitate alienum; lex tamen ipſius odio fingit illum conſentire. Aſt præceptum, quod fornicationem, aut adulterium prohibet, ideo prohibet, quia hæc mala ſunt in ſe, adeò, ut malitia conſenſu humano tolli non poſſit, nec proinde extrema neceſſitas fornicationem licitam faciat. Quarè, ſi fame coacta virgo, ſtuprum patiatur, & ſtupranti conſentiat; peccato apud DEUM non caret, licèt in foro externo, ſtuprum, aut adulterium non ultroneè commiſſum, vel impunitum maneat, aut pro modo & qualitate rei, parciùs puniatur. Tiraquell. *De temper. pœnis. cauſa. 33.*

3. Porrò, hæc Regula porrigitur quóque ad ea, quæ propter evidentem utilitatem permiſſa ſunt. Nam ut ait Panormitan. *ad cap. ſuper. n. 15. de reb. Eccleſ. non alien.* Cauſa neceſſitatis & utilitatis æquiparantur in jure, Unde ſicut juramentum de non alienando res Eccleſiæ non ligat Prælatum in caſu neceſſitatis; ita nec in caſu utilitatis. vide Zoëſ: *ad tit. de reb: Eccleſiæ alien. n. 15.*

REGULA LXXIX.

1. *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.*

2, Concordat. *Lex 52. ff. h. t.* & quotidianus eſt uſus hujus Regulæ ex æquitate naturali ſuam trahens originem. Natura enim non patitur, ut quis plùs dare aut transferre poſſit, quàm ipſe habeat. *L. traditio. 20. ff. de acquir. rer. dominio.* Quarè locum habet, non ſolùm in alienationibus, verùm etiam in ſucceſſionibus, ut nemo plus juris in ſucceſſorem ſuum transferre poſſit, quàm ipſe habeat. Quò pertinet. *l. 120. ff. h t. Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habet, & l. 160. §. fin. eod. Non debeo melioris conditionis eſſe quàm author meus, à quo jus in me tranſit.* & *l. 167. eod. qui in jus dominiúmve alterius ſuccedit, ejus jure uti debet,* & hæc tam de ſingulari, quàm univer-

ſali

ſali ſucceſſore intellige; ita tamen, ut tantùm realia vitia, non etiam perſonalia, tranſeant in ſingularem ſucceſſorem, veluti in emptorem, donatarium, legatarium. Dixi: *non etiam perſonalia.* Quia mala fides venditoris, aut donatoris, haud nocet emptori, aut donatario præſcribere incipienti, aut præſcriptionem à ſua perſona inchoanti, *L. an vitium 5. ff. de diverſ: & temp: præſcription.*

3. Equidem hoc caſu multùm intereſt inter ſucceſſorem ſingularem, veluti emptorem, donatarium, &c. univerſalem puta hæredem. Nam in ſucceſſore univerſali hæc Regula obtinet; quod defunctus non potuit uſucapere, propter malam fidem, id nec hæres poteſt uſucapere, licet bonam fidem habeat. écontrà, ſi defunctus bonam fidem habuit; hæres propter ſuam malam fidem non prohibetur uſucapionem implere. *L. cum hæres 11. ff. de diverſ: & temp: præſtript.* Aſt hoc poſterius, ut vides, procedit de jure civili tantùm, quo currit præſcriptio cum mala fide. In ſucceſſoribus particularibus aliter obtinet, átque hæc procedit Regula: quod vitium Authoris, ſingulari ſucceſſori néque proſit, néque noceat. Unde venditoris bona fides non prodeſt emptori malæ fidei in uſucapionibus, quia emptor non ſuſtinet perſonam venditoris, ut defuncti perſonam repræſentat hæres. ècontrà mala fides authoris non nocet ſingulari ſucceſſori præſcribere incipienti, id eſt, ſi nolit uti acceſſione poſſeſſionis ſui authoris, ſed ex ſua perſona velit uſucapionem inchoare. *L. an viteum cit.* vide Bronchorſt. *ad 54. cit.*

4. OPPONES *imò.* Locator, qui ipſe colonum, ſeu inquilinum expellere non poteſt, expellendi tamen facultatem in emptorem ædium locatarum transfert. *L. emptorem. C. locati.* *2dò.* is, qui rei alicujus poſſeſſionem, non vi, non dolo malo, & citra conſcientiam alieni dominij; ab alio nactus eſt, quem dominum eſſe credidit, uſucapione completâ defenditur, eámque rem uſucapit, quam ſuus author propter malam fidem uſucapere non potuit. §. *1. inſtit. de uſu.* ergò

5. Ad *1mum* ℞, quòd venditor fundi vel domûs, locando eam ante venditionem, perſonam tantùm ſuam obligaverit conductori, non rem locatam. Quare non eſt mirum, quòd emptor poſteà effectus dominus ejus rei, colonum, qui in rem alienam nullum jus habet, ex eadem expellat, Quamvis is, colonus ſcil: ad id quod intereſt, contra venditorem, à quo conduxit habeat actionem. *L. qui fundum. ff. locati.* Ad *2dum* ℞. Licet vitia realia, ut ſunt furtum, vis, rapina; contagione ſuâ veluti individui quidam comites, quoslibet poſſeſſores ſequantur, donec purgata ſint, hoc eſt quoúsque hujusmodi res,

O 2 abla-

ablatæ, in veri domini poteſtatem redierint. *L ſequitur.* §. *quod autem ff. de uſucap. l. vitia. C. de acquir: poſſeſſ.* in vitijs tamen perſonalibus, & ſimplici malâ fide, aliud eſt. *L. apud Celſum.* §. *de authoris. ff: de except. Doli:* mala fides enim, quæ in aliqua perſona eſt, ei tantùm cohæret, & illam perſonam uſucapere vetat.

REGULA LXXX.

1. *In toto partem non eſt dubium contineri,*

2. Deſumitur. *ex L. in eo quod plus.* & *ex L. in toto. ff. h. t.* vide, quæ ſupra diximus ad Reg. *plus ſemper, &c.*

3. DICES. Si quis ſic caverit, ut ſylva ſibi pignori eſſet; navis ex ea facta, pignori non eſſe Cajus ait. *L. ſi convenerit* §. *pen. ff. de pignor. act:* ergò. ℞. Quando materia quæ fuit obligata tranſit in materiatum (ut ajunt veteres) tunc illam primam materiam in æſtimatione hominum deſinere eſſe extinquíque, ac incipere eſſe aliam ſpeciem, ut proinde hypotheca quæ erat, evaneſcat, niſi in obligatione de ſylva factâ, cautum fuiſſet; ut ſylva una cum omnibus, quæ ex ea facta natáve fuerint, obligaretur. Alij dicunt, & bene; quòd, quando res obligata tranſit in aliam formam, reducibilem ad priſtinam materiam, quòd inquam non extinguatur hypotheca, ſecus, ſi non ſit reducibilis, ut fit in nave.

REGULA LXXXI.

1. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

2. Vulgata juris ſententia eſt, quòd verba generalia debeant generaliter intelligi. *L: 1.* §: *generaliter. ff. de legat præſt.* etiam cum aliqua impropriatione, & interdum quóque factâ extenſione ad caſus alios majores expreſſis: ſed tamen ita; dummodò veriſimile ſit de his actum, vel cogitatum fuiſſe. Quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. Quare cardo rei in hoc vertitur, quâ ratione cognoſci queat, an quis, quid in ſpecie veriſimiliter non fuiſſet conceſſurus. Pro cujus reſolutione.

3. DICO. Hoc in primis cognoſci poteſt ex eo, quòd unusquisque etiamſi Princeps ſit, præſumatur generali locutione ſuâ nemini velle præjudicare. *L: 2. ff. ne quid in loco publ.* Ideóque filius naturalis legitimatus per reſcriptum Principis, non ſuccedit in feudum, niſi ſpecia-

ſpecialiter & nominatim id in reſcripto legitimationis exprimatur. Aretin. *Conſil. pen.* ne ſcil: fiat præjudicium agnatis, ad quos feudum illud perveniret. *2dò.* Si alioquin dolus, vel doli occaſio includeretur. Nam (ut ait Modeſtinus) *ad ſpecies de novo repertas, dolo contrahentis in diviſione hæreditatis non comprehenſas, generalis quietatio non porrigitur. L. tres fratres. ff. de pactis* Unde, quia generalitas plerúmque captioſa eſt, multíſque inſidijs expoſita, non eſt cogendus creditor ut generaliſſimas & nimiùm effuſas liberationes ſeu quietantias præſtet. *3tiò.* Nemo in ſpecie veriſimiliter videtur conceſſurus ea, quæ à jure improbantur. Unde, ſi Princeps actum, vel ſtatutum invalidum confirmet, iſta confirmatio nihil novi dat, nihilque novi juris confert, ac invadum non validat, quia Princeps aliud non cenſetur velle confirmare, quàm tale, quale eſt, & in quantùm aliàs eſt verum, validum, & efficax. *cap: examinata. de confirm: util: & inutili.* Præterquàm, ſi Princeps cum cauſæ cognitione, & ex certa ſcientia vitij ſeu nullitatis, actum confirmaret; nam tunc confirmatio ſuppleret omnem defectum, & deſineret eſſe confirmatio, ſed cenſeretur eſſe nova, principaliſque diſpoſitio. *4tò.* In mandato generali non comprehenditur poteſtas delinquendi, vel id, per quod mandans incideret in pænam. *5tò.* In generali locutione, diſpoſitione vel obligatione, non veniunt ea, de quibus in ſpecie quis diſponere non poſſet. Cujusmodi ſunt feuda, res prohibitæ alienari ſub pæna; bona ſubjecta fideicommiſſo, jus patronatûs; bona dotalia, aliáque ſimilia. Ex quo ſequitur inferiorem, qui obedientiam debet ſuperiori, in omni ſua effuſa & ampla verborum prolâtione etiam juratâ videri authoritatem ſuperioris ſemper excepiſſe. *cap. veniens de jurejur.* écontra verò generalis locutio, ſtatutorúmque vel diſpoſitionum generalis derogatio, ad actus juratos, vel pacta juramento firmata non trahitur. & ideò ſalvus conductus generaliter datus, ne quis ad certum tempus à creditoribus ſuis conveniri poſſit, ad debitum juratum niſi id nominatim expreſſum ſit, non extenditur. *6tò.* Huc ſpectat, quòd non præſumatur Pater, proprio ſanguini extraneos præferre voluiſſe. *L. cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſ.* *7mò.* Pari ratione à generali locutione rejicitur id, quod aut impoſſibile, aut certè admodùm difficile eſt, cujus ordinis etiam ſunt ea, quæ ſunt inſolita & paradoxa, ad quæ veriſimile eſt, quod quis expreſsè ſe obligare non voluiſſet. *8vò.* Addi poteſt, quòd lex abhorreat ab infinito. Unde hoc ſermone generali: *Dum nupta erit:* nè in infinitum res producatur, primæ nuptiæ ex veriſimili mente loquentis ſignificantur. *L. boves. §. hoc ſermone. ff. de V. S.* & qui Calendis ſtipulatur, nec adjicit quibus

callendis, de primis ſenſiſſe videtur. *L. eum qui ff. de V. O.* infinito accedit nimia incertitudo, de qua non eſt veriáſimile cogitatum fuiſſe. *9nò.* Prætereá; illud voluiſſe teſtatorem veriſimile eſt, quod facere ſolet. Quia ex conſuetudine loquendi voluntas colligitur. *L. Sempronio. ff. de uſufruct: legat.* *10mò.* Is, qui contraxit, de eo veriſimiliter cogitavit, quo, ſine magno ſuo incommodo, vel damno carere non potuit. Ideóque teſte Ulpiano, in generali obligatione rerum, quas quis habet, habiturúsve eſſet, non venit veſtis quâ induitur, nec ſuppellex quâ neceſſariò utitut. *L. obligatione. ff. de Pignor.* *11mò.* Et tandem non præſumitur quis ſibi velle contrariari, aut contra factum proprium venire.

4. Ratio Regulæ & horum omnium eſt. Quòd actus agentium non debeant egredi eorum intentionem. Juſtúmque ſit contrahentium & diſponentium voluntates magìs, quàm verborum conceptionem inſpicere, etiamſi conjecturæ tantùm ſint & veriſimili opinione conſiſtentes. *L. acutiſſime cit.* Si

5. DICAS. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs faciendam eſſe interpretationem. ℞. Licet contra proferentem fiat interpretatio, tamen primò inſpiciendum eſſe, quod eſt veriſimiliùs etiamſi ſit pro proferente. Nulla enim vel eſſe, vel dici poteſt obſcuritas illius actûs, quem lex ipſa tacitâ quadam explicatione illuſtrat. vide Regulam. *contra eum, &c.* & Caniſ. *hoc loco.*

REGULA LXXXII.

1. *Qui contra jura mercatur, bonam fidem habere non præſumitur.*

2. Ratio eſt. Quia mala fides nihil aliud eſt, quàm læſa conſcientia, quæ accuſat vel convincit aliquem facere, quod non debet, vel non facere quod debet. Illæſa autem vix eſſe poteſt, in eo, qui contra jura mereatur, & legi, quæ DEI ordinatio eſt, non obtemperat. Quare lex præſumit illum eſſe malæ fidei, qui contra jura mereatur. Veluti; ſi quis à minore emat ſine decreto judicis. Si rem Eccleſiæ, non obſervatis ſolennibus comparet. Si è manu Laici Eccleſiam accipiat, &c. malæ fidei præſumitur. Quanquam autem delicti præſumptio capi non debeat; hoc tamen intelligitur niſi circumſtantiæ & probabiles conjecturæ, aliud indigitent. Cætera huc ſpectantia, repete ex Reg. *ignorantia facti, &c. ſuprà.*

REGU-

REGULA LXXXIII.

1. *Bona fides non patitur, ùt ſemel exactum iterùm exigatur.*

2. Conſonat. *L. bona fides. ff. h. t.* ad quam vide Bronchorſt, Ratio eſt, quia dolo malo facit, qui petit id, quod reſtituere oportet eundem, & quia jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri debere locupletiorem. Uude ut vides, Regula intelligitur; Si ſemel exactum, cum effectu ſolutum ſit, tantùm enim abeſt, ut lex improbet ſæpè repetitam exactionem, & multoties iteratam interpellationem; ut écontra moroſum debitorem puniat.

3. AMPLIATUR hæc Regula. Quòd licet ſtatutum præcisè velit, ut contra inſtrumentum Guarentigiatum nulla exceptio objici poſſit; tamen nè idem bis exigatur; facultas objiciendi exceptionem ſemel factæ ſolutionis, quæ eſt peremptoria, & exceptio litis finitæ, non cenſeatur eſſe excluſa, ita, ut Reo ante litem conteſtatam debeat dari terminus ad probandam ſolutionem. *cap. 1. de lit. conteſt. in 6.* Peck. *hìc n. 2.* Adſtipulatur Bronchorſt. *loc. cit.* ubi dicit, quòd exceptio ſolutionis, compenſationis & aliæ, modo incontinenti liquidabiles, in ipſo executionis actu valide opponantur.

4. Pro majori illuſtratione hujus Regulæ obſervandum, quòd is, qui iterùm exigit, modo repellatur ipſo jure, modo oppoſitâ doli mali exceptione. Ipſo quidem jure; ſi ſolutio ejus, quod debetur facta eſt, quia ſolutione tollitur obligatio. §. *1. inſtit: quib: mod: toll: obligat.* Doli verò mali exceptione; puta ſi ſolutio facta ſit pupillo, abſque tutoris authoritate. Nam licet debitor hac ſolutione non liberetur; tamen ſi pecunia ſoluta adhuc extet apud pupillum, aut ex ea locupletior factus ſit, tuetur ſe debitor iterùm conventus doli mali exceptione. §. *penult. inſtit. quib: alien. licet.*

5. Quandóque tamen ſemel ſoluti exactio iterùm conceditur veluti in eo qui ex chyrographo ſuo conventus, negat ſuum eſſe chyrophum, aut ſibi numeratam eſſe pecuniam. Nam convictus mendacij, ſolvere cogitur, etiamſi antea ſolverit. *auth. contra C. de non numerat. pecun.* Interdum & à diverſis perſonis duplex exactio permittitur. Puta; ſi una res duorum teſtamentis eidem legata ſit. Etenim legatarius æſtimationem rei ex uno teſtamento conſecutus, ex altero nihilominùs rectè agit ad ipſam rem conſequendam. §. *res aliena. ℣. hac ratione. inſtit. de legat.*

REGU-

REGULA LXXXIV.

1. *Cûm quid unâ viâ probibetur alicui , ad id aliâ non debet admitti.*

2. Vide Barboſ. *in tract: Axiom: juris uſufreq: Axiom: 193. n. 5.* & ea quæ ſupra diximus. *ad Reg: cùm quid probibetur.* Ratio eſt, nè ſcil: fraus fiat legi, & ſub velamento ac prætextu verborum, contra legis mentem aliquid unâ viâ admittatur, quod aliâ prohibetur. Quare, qui in Prælatum electus eſt, ſicut ante confirmationem ſuam, Eccleſiæ res adminiſtrare, tanquam Prælatus non poteſt; ita nequè nomine procuratorio, vel œconomi. *cap: avaritia. de Elect. in 6.* & maritus, qui ob adulterium uxoris ad ſeparationem Thori agit, licet nomen, locum, tempus, aliáque ſolemnia libello comprehendere teneatur; non tamen ad pænam talionis, ſi probatione defecerit, ſe obſtringere poterit, ne hac ſaltem viâ ſeparationem, quam petit, impetret. *cap. tua 5. de procurat.* Sic porrò tam is, qui mutuam pecuniam filiofamilias credidit, quàm is, qui frumentum, oleum, vinum, mutuò dedit, ut his diſtractis, pecuniâ uteretur: exceptione S. C. Macedoniani rejicitur. *L. ſed Julianus. §. mutui. ff. ad S. C. Macedon.*

3. Eſt autem intelligenda Regula, quò ad id, quod principaliter & in ſeipſo prohibetur, ſecùs, ſi tantùm in modo aut circumſtantijs certis prohibitio fit, tunc enim interdictum non eſt alio modo, aut viâ legitimè rem explicari. Licet enim illegitimus in Epiſcopum eligi non poſſit, poſtulari tamen poterit. Sic hæreditas pactionibus relinqui quidem non poteſt, teſtamento tamen poteſt.

4. Dein, intelligitur Regula, ſi utráque via ad eundem effectum directè tendat, ut in exemplis priùs adductis, perſæpè enim in conſequentiam alterius rei idem effectus ſequitur ſicut eleganter oſtendit Ulpianus in tutore, qui licet in rem ſuam pupillo author eſſe non poſſit, ut pupillus ſibi obligetur, poteſt tamen ſui debitoris hæreditatem adeunti pupillo, authoritatem ſuam accommodare, ut ſic per conſequentiam pupillus ſibi obligetur. *L. 1. & L. quod dicimus. 7. ff. de authorit. & conſenſu tutor.* Adde, quòd tutor habuiſſet alium, qui adijſſet & quem, convenire potuiſſet. Si tamen appareat ſolvendo non eſſe hæreditatem, utique ſuccurrendum eſt pupillo eam adeunti. Sic & jus Patronatûs etſi per ſe, & ſeparatim emi non poſſit; rectè tamen conſequitur emptionem univerſitatis, cui adhæret. *cap. ſæculum 13. de jure patron.* Qua ratione & ſtipulatio alteri facta, etſi inutilis ſit, pænæ tamen adjectione in conſequentiam ſuſtinetur. *§. alteri de inutilib. ſtipul.* ubi Hoppius & alij.

5. Ad

5. Ad dirimenda Argumenta, quæ opponi poſſent Notandum , quòd judex, qui directè & unâ viâ de cauſa quadam cognoſcere non poteſt, aliâ viâ & incidenter de eadem cognoſcere queat, ídque ideo, ne cauſæ continentia dividatur, & ne quis coram diverſis judicibus propter incidentem quæſtionem, quæ ſæpiſſimè oritur, trahatur. Dein; quando ea, quæ naſcitur quæſtio, eſt præjudicialis, locum non habet noſtra Regula.

6. Sed tamen prætereundum non eſt, quòd, ſi principalis cauſa ſit civilis & profana, incidens verò ſpiritualis & Eccleſiaſtica, tunc judex Laicus, coram quo vertitur cauſa principalis, ſicut non poſſet cognoſcere principaliter, ita nec incidenter quóque; niſi in caſibus aliquot exceptis, ſed deberet eam ad Epiſcopalem audientiam remittere. Veluti ſi petatur executio inſtrumenti coram judice Laico, & objiciatur, quòd contractus ſit uſurarius, remittitur hujus exceptionis cognitio ad judicem Eccleſiaſticum, interímque judex Laicus ſuperſedere debet, qui ſi eam cauſam non remitteret, ſed in ea procederet, ſententia tanquam contra ſolitum judiciorum ordinem lata, eſſet nulla. *cap. tuam. de ordine cognit. cap. lator. qui filij ſint legit.* ita de jure. uſus tamen, aut abuſus alius eſt. Néque poteſt judex Laicus, judici Eccleſiaſtico, ad quem cauſa remittitur terminum præſcribere, infra quem eam cauſam abſolvat. Nam cùm judex ſæcularis ſit minor, non habet imperium in judicem Eccleſiaſticum. *cap. qualiter. de judicijs.* poterit tamen inſtare apud ſuperiorem illius judicis Eccleſiaſtici, ut tempus illi præſtituat, intrà quod cauſam abſolvere cogatur, Panormit. *ad cap. tuam. cit.* écontra verò, ſi coram Epiſcopo in cauſam ſpiritualem principaliter motam quæſtio pecuniaria civiliter mota incideret; poſſet Epiſcopus, ſeu ejus officialis, de ea cognoſcere & pronunciare. ídque dignitati Eccleſiaſtici judicis contra Cynum tribuendum exiſtimant Caſtrenſis & alij *ad L. quoties. C. de judicijs.* vide fuſiùs Peck. *hot loco.*

REGULA LXXXV.

1. *Contractus ex conventione legem accipiunt.*

2. Conſentit juris civilis Regula. *in l. contractus. ff. h. t.* Ratio eſt; quia proviſio hominis facit ceſſare ordinariam proviſionem legis. *L. fin. C. de pact. convent.* Dein; cùm voluntas contrahentium det eſſe contractui, & quilibet ſit rei ſuæ moderator & arbiter, utique poſſunt contrahentes, eam apponere conventionem contractui, quam volunt, dummodo aliàs non ſit contra bonos mores, nec legibus expreſsè reprobata ſit.

3. OP-

3. OPPONES. Cùm precariò aliquid datur, ſi conventum ſit, ut in calendas julias precario poſſideatur, nulla vis eſt huic conventioni. *L. cùm precario. ff. de precario.* & ſi decem dedero, & deinde paciſcar, ut undecim debeas; Proculus cum Ulpiano putat, ampliùs quàm decem condici non poſſe. *L. rogaſti. §. ſi tibi. ff. ſi cert pet.* pro ſolutione hujus argumenti.

4. NOVERIS. In contractibus quædam eſſe ſubſtantialia, quædam naturalia, & quædam accidentalia. Subſtantialia ſunt, quæcúnque concernunt materiam, formam & ſolemnitates internas. Sic ſubſtantialia ſunt conſenſus in quolibet contractu, res & pretium in emptione & venditione, res & merces in locatione & conductione; communio in ſocietate: interrogatio & reſponſio in ſtipulatione; hæredis inſtitutio in teſtamento. Súntque ejus conditionis ut contrahentium voluntas his derogare non poſſit. Quia ſubſtantia eſt, ſine qua res conſiſtere nequit. Naturalia ſunt, quæ ad contractum formatum naturali quadam habitudine accedunt, & contractum naturaliter concomitantur, ex eo conſiſtunt, & legis authoritate illi inſunt. Hæc rursùm duplicis ſunt generis: quædam enim ſunt interna ſeu innata, quæ per naturam & intrinſecè contractui cohærent, eíque ab initio inſunt, ut quod in venditione Dominium rei. vel quaſi dominium & uſucapiendi conditio tranſeat in emptorem, & hoc eſt naturale internum, adeò, ut non liceat in contrarium paciſci manente eodem genere contractûs. *L. cum manus. §. ult. ff. de contr. empt.* Sicut & in mutuo hoc naturale eſt & internum, ut eodem genere reddatur. Unde cùm precario naturale ſit, quòd ad libitum concedentis ſit revocabile; patet ſolutio argumenti: Alia verò ſunt naturalia, ſed externa, quæ ex conſuetudine plerúmque adſunt, & contractui inſunt. Sed hæc aliâ ratione naturalia non appellantur, quàm, quòd aſſiduâ conſuetudine, quæ altera natura eſt accedant, veluti: culpam & caſum præſtari, ubi ex natura contractûs non præſtaretur. Unde pacto mutari poſſunt, manente eodem genere contractûs. Porrò accidentalia ſunt, quæ non modò non pertinent ad ſubſtantiam, ſed omninò ſunt extra naturam contractûs, & variè pro lubitu à contrahentibus adjiciuntur: ut, quòd res vendita venditori locetur, vel una medietas ſic vendatur, ut alteri locari debeat, &c. & de his loquitur Regula. Unde & illud evincitur, quòd non valeat conventio ut pro decem mutuo datis reddantur undecim, non ſolùm odio uſurarum; ſed quia contra ſubſtantiam & naturam mutui eſt, ut plùs reddatur, & quia contractus, qui re fit, major eſſe non poteſt, quam res ipſa, de qua quis pactus eſt.

REGU-

REGULA LXXXVI.

1. *Damnum, quod quis ſuà culpâ ſentit, ſibi debet non alijs imputare.*

2. Ratio: Quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Nemo debet alterius odio prægravari. Sine culpa nemo puniendus eſt. ſuos culpa tenent authores, nec ulterius progrediendum, & qui proprio facto damnum ſentit, in patientia cogitare debet, quòd ſuo laqueo capiatur, & ſuà operâ quaſi ſuopte plauſtro, hanc ſibi Sarcinam attulerit, & quod ſuorum malorum ſibi author ſit. Conſonat illud Ulpiani: *Legis auxilio dignum non eſſe eum, qui ſe ultrò conjecit in neceſſitatem. l. ſi fidejuſſor. §. ff qui ſatisd. cog.*

3. Hæc Regula præprimìs locum habet in contractibus. Etenim, *qui parùm diligentem ſocium ſibi aſſumit* (inquit Juſtinianus.) *§. fin. inſtit. de Societ: de ſe queri debet*, hoc eſt ſibi imputâre debet, & qui negligenti amico, rem cuſtodiendam tradit, non ei, ſed ſuæ facilitati illud acceptum ferat. *§. præterea inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.* In teſtamentis quóque reſpondet Juſtinianus, eum, qui abſque beneficio inventarij damnoſam hæreditatem adijt, & ſalubre legis conſilium contempſit, ſuæ hoc ſtultitiæ acceptum ferre debere. *l. fin. C. de jure delib.*

REGULA LXXXVII.

1. *Infamibus, portæ non pateant dignitatum.*

2. Regula procedit tam de his, qui ſunt infames infamiâ facti, quàm juris. *Néque famoſis & notatis, & quos ſcelus aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat*, dignitatis portæ patebunt. *text. in l. 2. C. de Dignit.*

3. AMPLIATUR. Hæc Regula, ut infamibus portæ dignitatum non pateant, non ſolùm in loco, in quo infamia contracta, aut per ſententiam illata eſt, verùm etiam in alio loco quocúnque. Quia ut eleganter ex Bartolo reſpondet Caſtrenſis. *ad l. 1. de his qui not. infam.* Sicut lepra ſequitur leproſum, quocúnque jerit, & ſicut is, cui membrum aliquod mutilatum eſt, mutilus ubique eſt, ita quóque ſententia, quæ aliquem infamat, ejuſdem naturæ eſt, ſtatúmque alicujus diminuit, ubique infamat, & apud omnia tribunalia ligat. Licet autem delinquentes emendati, poſt peractam pœnitentiam, gradum ſuum & dignitatem interdum recipiant, emendatus tamen de crimine infamante, eatenus adhuc notâ infamiæ laborat; ut ad actus publicos & legitimos, aut ad teſtimonium in cauſa criminis ferendum velut integer & idoneus non admittatur. *cap. teſtimonium*, & ibi Panormit.

De teſtib. Ideóque & Claudius Cæſar, cùm cuidam notam appoſitam, deprecantibus familiaribus, ademiſſet: *litura tamen* (inquiebat) *extat.* Sentiens etiam remiſsâ culpâ, manere prioris infamiæ veſtigium. Unde & perjurus poſt peractam pœnitentiam non poterit eſſe teſtis. Pro ſolutione objectionum.

4. Nota *1.* Quòd infamam facti, quæ ex communi hominum opinione conſurgit, nemo mortalium tollere poſſit, imò nec Princeps quidem, quia, cùm in facto conſiſtat, ut facto contrario tollatur, neceſſum eſt. Cæterùm, quòd infamia facti vel juris non habeat effectum, facere poteſt Princeps. 2. Quòd neceſſitate cogente, interdum admittantur infames, aut alias inhabiles. Quia neceſſitas quæ legem non habet, licitum ac honeſtum facit, quod alioquin eſſet turpe & probroſum.

REGULA LXXXVIII. Quæ eſt ultima.

1. *Certum eſt, quòd is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.*

2. Deſumitur ex *l. non dubium. C. de LL* ubi habentur eadem hæc verba. Ratio eſt; quia mens magìs attendi debet, quàm verba. Verba enim ſe habent ut corpus & ſuperficies, ratio verò tanquam mens, ſpiritus, ac anima. Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. Gloſſ. 48. n. 56.* Unde quemadmodùm Cicero in Orat. pro Cecinna eleganter ait, *quod ſcriptum ſequi calumniatoris ſit, boni autem judicis ſit voluntatem, authoritatémque & rationem defendere*; ita Celſus ait, *eum qui pertinaciter à ſcripto recedere non vult permicioſè errare. l. ſi ſervum ff* De V. O. & rursùm *ſcire leges* (inquit) *non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem earum cognoſcere. l. ſcire ff.* De *ll.* Verborum enim inopia non præſtat, ut res omnes proprijs ſuis vocabulis nominari poſſint; multáque non opinatò eveniunt, in quibus judicandis à ſcripto paulis per recedendum eſt. *l. non poſſunt. eod: tit:*

3. Regula igitur vult, mordaciter non eſſe verbis inhærendum, quando mens & voluntas legis aliud inſinuat. Sed quandonam (INQUIS) voluntas legis certa dicetur? ℞. tunc, quando vel in lege clarè exprimitur, vel quando unicâ tantùm ratione conſiſtit, ita ut alia nulla adduci poſſit; vel cùm per argumentum neceſſariò & evidentiſſimè concludens colligitur ita ſenſiſſe legislatorem. Felin. *in. cap. in noſtra de reſcript.* Quod, ſi de mente, ratione, & ſententia non clarè conſtet, eò reſpiciendum eſt, an unus ſenſus careat vitio, alius non? an quis ſine ſua culpa in damnum incideret? an abſurdum quid eveniat? an occaſio delinquendi præſtaretur? an uſus communis loquendi violaretur? Porrò; quot modis fraus fiat legi, habet, Peck. *hìc n. 3. in fin:*

FINIS.